Des
Neuen
Gelehrten Europa
Achter Theil,

herausgegeben

von

Johann Christoph Strodtmann.

Nebst
Alphabetischem Verzeichniß der in den sämtlichen acht Theilen befindlichen Lebensgeschichten.

Wolfenbüttel,
bey Johann Christoph Meißner, 1756.

Nachricht an den Leser.

Der Herr Rector Strodtmann ist in seinen Unternehmungen, der menschlichen Gesellschaft so wohl durch seine Schriften, als durch Unterweisung der Jugend, fernerhin zu dienen unterbrochen worden. Eben dasselbe Schicksal, das vielen seiner, als noch lebender Personen, beschriebnen Gelehrten wiederfahren ist, hat auch ihn betroffen. Diejenige Weisheit, die niemals einen Irrthum begeht, hat es für gut befunden, ihn diesen irdischen Geschäfften zu entreißen,

indem sie ihn im Monat April dieses Jahres aus dem vergänglichen Leben in ein unvergängliches berufen. Man hat also, theils weil dieser Achte Theil des Neuen Gelehrten Europa den Beschluß seiner ausgearbeiteten Geschichten enthält, theils auch der Bequemlichkeit der Leser zu Gefallen, ein alphabetisches **Verzeichniß aller der Lebensgeschichten** hier anrücken wollen, die in den sämmtlichen acht Theilen des von ihm geschriebenen Neuen Gelehrten Europa enthalten sind.

Im übrigen dient den geneigten Lesern hiermit zur Nachricht, daß der Herr Doctor Ferdinand Stosch zu Lingen, dessen Geschichte bereits im I Theile dieses Neuen Gelehrten Europa erzählt ist, welcher auch bereits einen großen Theil der bisher gedruckten Geschichten von Gelehrten, schon bey des

Herrn

Herrn Strodtmanns Lebzeiten ausgearbeitet hat, nunmehro nach desselben Tode, die Besorgung dieses Werkes in Zukunft über sich nehmen, die von dem sel. **Herrn Strodtmann** gesammleten Geschichten und Nachrichten bey gehöriger Gelegenheit beybringen, und überhaupt auf eben die Art, und mit eben dem Fleiße das Publicum fernerhin unterhalten wird, mit dem es **Herr Strodtmann** bisher unterhalten hat.

Dieses Werk wird also nicht im geringsten unterbrochen werden; sondern die Leser werden iede Oster- und Michael-Messe, wie es bisher damit gehalten worden ist, einen neuen Theil davon zu gewarten haben, und sich auf künftige Michael-Messe 1756. auf den **ersten Theil der neuen Fortsetzung vom Herrn Doctor Stosch** sichre Rechnung machen

chen können. Ueberdieß verspricht der Herr Doctor, um dieses Buch den Lesern desto nützlicher und brauchbarer zu machen, mit der Zeit ein vollständiges Real-Register über das ganze Werk, von den Arbeiten des Herrn Götten an, zu liefern.

Der Verleger.

Verzeichniß

der in diesem achten Theile
des Neuen Gelehrten Europa
enthaltenen
Geschichte der Gelehrten.

I. GREGORII MAIANSII, Generosi Valentini, Vita, Latine scripta, auctore *Ioanne Christophoro Strodtmann* pag. 849

II. Geschichte des seligen Herrn von Cheseaux, zu Lausanne, aus der Bibliotheque raisonnée, Tom. XXXXVIIII. Partie I. Seite 210. u. f. übersetzt 977

III. Geschichte des Herrn Eino Lucius Vriemoet, der heiligen Schrift Doctors, und der morgenländischen Sprachen und hebräischen Alterthümer ordentlichen Professors zu Franecker 997

IV. Zusätze zur Geschichte des Herrn Cardinals Quirini, im III Theile der Beyträge zur Historie der Gelahrtheit 1015

V. Zusätze zur Geschichte des Herrn Conrad Ernst Bierlings, im III Theile der Geschichte itzt lebender Gelehrten, und im I Theile des Neuen Gelehrten Europa 1071

VI. Zusätze zur Geschichte des Herrn Johann Bernhard Hassel, im IX Theile der Geschichte itzt lebender Gelehrten 1073

VII. Zusätze zur Geschichte des Herrn Johann Friedrich Noltenius, im XI Theile der Geschichte itzt lebender Gelehrten 1075

VIII. Zusätze zur Geschichte des Herrn Paulinus a S. Josepho, im VII Theile des Neuen Gelehrten Europa 1077

IX. Alphabetisches Verzeichniß aller derer Lebensgeschichten, die in den sämmtlichen acht Theilen des Neuen Gelehrten Europa enthalten sind.

GRE-

GREGORII MAIANSII
GENEROSI VALENTINI
VITA

AVCTORE

IO. CHRISTOPH. STRODTMANN

RECTORE GYMN. OSNABRUG.

WOLFENBVTTELAE

M DCC LVI.

IOANNES CHRISTOPHORVS STRODTMANN,

LECTORI SVO.

Historia literaria eo tendit vt clarorum Virorum opera omnibus innotescant vt ex ea magnae vtilitates percipiantur. Hae vero multo maiores et vberiores esse possunt, si viuentium scripta, et acta, cogitationesque etiam referantur. Nam ab ipsis Auctoribus multa literaria auxilia peti possunt, quae illis vita functis ab aliis obtineri nequeunt: vt taceam eorumdem esse debitam remunerationem, iustam famam: maxime cum plerique eorum, magis literis excolendis, quam obtinendis praemiis intenti, plus mereri, quam adipisci soleant. Propterea ego paucis ab hinc annis Gregorii Maiansii, Generosi Valentini, Vitam, excerpens aliqua ex eiusdem viri operibus editis, et nonnullis actis literariis Germanica

lingua composui, edidique: etsi virum omni virtutum genere cumulatissimum neque de facie, neque per commercium literarium vllo modo agnoscerem. Postea vero vberiorem nactus materiam ex diuersisHistoriae literariae Bibliothecis, et praecipue ex Ximeniana; item ex quamplurimis Diariis, Ephemeridibus, et Actis literariis; ex eiusdem amicis, qui vbique multi, et praestantissimi sunt; quin et ex ipsius Epistolis ad alios, et ad me ipsum datis; visum est mihi ea omnia silentio nullo modo esse occultanda: et Latine scribi debere, vt in omnium notitiam facilius veniant. Omnia autem disposui secundum ordinem temporum, vt haec Vita sit etiam Historia literaria, praesertim recentium Hispanorum scriptorum. Quam ob caussam singula viri amplissimi opera, quorum notitia ad me peruenit (nec enim dubito quin alia quam plurima ediderit, et plura alia silentio ipse Auctor premat) minutissime persecutus sum exemplo eorum qui vitas literarias diligentissime scripserunt, ne quid ex magnis viris obliuioni tradatur. Nescio quomodo ipse vir modestissimus hoc meum factum accipiet. Sed si humanitatis suae obliuisci noluerit; certe animum meum de se bene mereri cupientem, etsi aliquo modo sibi ingratum, amare debebit.

Pascha-

1.

Paschalis Mayans, Generosus Valentinus (sic Patriciae gentis viros Valentini vocant) IV. Cal. Septembreis anni 1696. vxorem duxit Mariam Siscar, Virginem nobilem, et egregiarum virtutum: et ex ea Oliuae suscepit Gregorium Maiansium VII. Eidus Maias anni 1699.

2. Ipso die quo Gregorius triennium compleuit, ludum literarium adire coepit: et tantum ei profuit ab illa aetatula literis incumbere, ut hoc ei postea nnnquam fuerit molestum. Breui tempore literas cognoscere, legere, et pingere didicit. Sed cum ob belli tunc saevientis motus prius Valentiam, vbi per semestre fuit, et postea Barcinonem, septimum annum in itinere complens, perductus fuerit; non antea in hac urbe Grammaticam Latinam coepit discere, quam octo annos haberet.

3. Ei operam dedit in Iesuitico Cordellensi Collegio: et cum ibi Grammaticae, Prosodiae, ac Rhetoricae praecepta didicisset, iussus memoriae mandare summam Artis Rhetoricae expressam ex Arte Cypriani Soarez, et Francisci Pomey dediscendam Rhetoricam; eodem tempore optimo vsus consilio, memoriae etiam commisit selectas Ciceronis Epistolas, et Orationes, Virgilii Aeneida, Horatii Odas, eiusdem Epistolam ad Pisones, et Martialis Epigrammata: atque assidue stilum exercens, cuius vsus procul dubio est magister optimus; mirificam inde adquisiuit facilitatem scriben-

bendi, tam ligata, quam soluta oratione. Ac primis illis annis secutus est puerilem imitandi rationem, qua verba potius, quam res inquiruntur propterea quod rerum inuentio non aeque facilis est, ac verborum: et puerorum ingenia similia sunt eorundem corporibus, quae incedere incipiunt non gressibus propriis, sed intra carriculos. Profuit tamen ei illud scribendi genus, quia Ciceroniano colore stilum tinxit.

4. Reuersus Oliuam patriam suam mense Iulio anni 1713. perquam iucunde viuebat cum nobili Iohanne Siscare auo suo, viro docto et iudicioso, qui cum laudasset Andreae Alciati Emblemata, dixissetque filium suum Paullum Siscarem, celebrem olim Philosophiae Professorem in Academia Valentina, illa memoriae mandasse; ipse honesta aemulatione incitatus, idem facere voluit; et elapso triduo omnia Alciati Emblemata eodem ordine quo edita sunt, auo suo memoriter recitauit.

5. Postea maligna febri corruptus fuit; cumque deinde lenticula eum attenuaret, balneorum ope conualuit. Ob eam caussam Valentiam ire non potuit eo tempore quo Philosophiae curriculum incipiebat. Iuit tamen post aliquot menses circiter diem natalem Christi anni 1714.

6. Disciplinae se tradidit Caroli Guilielmi, liberalium Artium Magistri, qui dictabat Philosophiae Compendium a Praeceptore suo Paschali Sala conscriptum. Cum autem Gregorio Maiansio assueto Ciceronis stilo Scholastica illa scribendi ratio displiceret; consulens ipse aliquas Logicas

gicas ab aliis editas, ex illis aliam composuit in vsum suum, eodem tempore et discens, et scribens eam. Reliquas vero Philosophiae partes a Magistro suo Guilielmo, cuius lateri in Gymnasio semper adhaesit, prout ab eo accepit, memoriae, qua nunc maxime valebat, commendauit.

7. Moris est in Academia Valentina, Thomistas, et Antithomistas, quos illic vocant Suaristas, singulis diebus mane per vnam horam, et vespere per aliam, inuicta garrulitate inter se contendere de iis quae plerumque ipsi certantes parum intelligunt: idque adeo palmarium putant, vt e Schola dimissi denuo pergant ad Nerianam Oratorii Congregationem, vbi pugnam illam redintegrant, et acriter prosequuntur, donec incipiat noctescere. Quo fit vt tirones facillime syllogismos, entymemata contorqueant, et retorqueant, et vt quidlibet defendere, et impugnare assuescant, cum vtilius esset, vt ipsi magistri explorarent quomodo ea quae ipsi doceant, discipuli intelligant; quidque ex iis, et qua ratione probent, aut improbent. Maiansius vero simpliciter proponebat argumenta; et cum videbat, male responderi; vrgebat modeste, nec vlterius progrediebatur: cumque bene sibi respondebatur; statim silebat. Cum autem ipse propugnabat; argumentationi modum ponebat statim ac eo res deueniebat, vt contentio potius, quam disputatio videretur.

8. Forte contigerat vt XVI. Cal. Martias anni 1714. decederet Maria Ludouica Gabriel de Sabaudia, Hispaniarum Regina; cumque Acade-

mia Valentina ageret de iustis ei celebrandis; Gregorius Maiansius ad apparatum funebrem ornandum aliqua panxit epigrammata, et labyrinthum composuit mirifici artificii ob multitudinem versuum, qui retrograde etiam lecti sensum non ineptum habebant, et leges metricas seruabant carminum speciebus commutatis: quod facili negotio Maiansius praestitit prae oculis habens labyrinthum illum, quem contexuit in Blasii Arbuxechii mortem Iohannes Baptista Ballester, homo ventosus, et ineptus versificator. Totidem enim ac ille quadrata confecit; et in singulis quadratis voces substituit totidem syllabarum, et earundem dimensionum, ac finalium elisionum euitandarum caussa. Qui labor etsi ingenii potius, quam iudicii fuit, mirum in modum placuit hominibus harum rerum ignaris, et huiusmodi lusuum admiratoribus.

9. Pridie Eidus Decembreis anni 1715. supremum diem obiit Iohannes Antonius Maiansius, Generosus Valentinus, vir insigni probitate, et eximia liberalitate in pauperes, qui secundum leges Castellae Gregorio Maiansio nepoti suo, quantum potuit, fauit, relictis ei eiusdemque successoribus, suorum bonorum quinta parte, ac tertia.

10. Philosophiae curriculo confecto, optimae spei adolescens reuersus fuit Oliuam, vbi pridie nonas martias anni 1716. iam obierat eius auus nobilis et doctus vir Iohannes Siscar, quem saepissime audierat differentem de Iurisprudentiae studio, et de ratione illius instituendi. Ipse Iuri Ciuili coepit

ope-

operam dare nullo vtens magiſtro. Ante omnia legit Iulii Pacii Iſagogen ab auo ſuo laudatam, perſpicuam illam quidem, ſed parum doctam. Poſtea duobus aut tribus diebus integrum titulum *de Diuerſis Regulis Iuris antiqui* memoriae mandauit; et ſtudio praepoſtero Iacobi Gothofredi eruditiſſimos in eum titulum Commentarios adiunxit. Praeterea inter ſe contulit Iohannis Borcholteni, Iohannis Mynſingerii, et Arnoldi Vinnii Commentarios Inſtitutionum Imperialium, et Vinnianos praetulit ob iudicii praeſtantiam, ſelectam eruditionem, et accuratam elegantiam. Idcirco cum paullo ante Saturnalia anni 1716. Valentiam perrexiſſet; etiamſi ibi audire voluit Iohannem Baptiſtam Ferrerium Mynſingerii Commentarios ſtudioſis ſuis praelegentem; ipſe tamen Vinnianos retinere maluit: et cum poſt paucos dies Ferrerius auditores ſuus dimiſiſſet propterea quod Ciuitas Valentina ei noluerat conferre cuiusdam Praepoſiturae ſubſtitutionem; Maianſius eum rogauit, ut ſe vellet retinere ſine vllo onere explicandi Iuſtiniani Inſtitutiones; ſed audiendi ſolum quomodo ipſe intelligeret Arnoldi Vinnii Commentarios: atque hoc modo percurrit eos, frequentiſſime quamplurimis diebus elabentibus, quin ab eo Ferrerius rationem literariam exigeret occupationes praetexens.

11. Nonis Februariis anni 1719. publice Maianſius propugnauit Theoremata deſumta ex *Legibus Iulia et Papia de Caducis*, et ante certamen habuit Orationem *de Mariae Dei matris Conceptu*, quae auidiſſimis auditorum auribus accepta fuit.

 12. Soli-

12. Solitus fuerat Iohannes Siſcar ſermones ſerere cum Gregorio nepote ſuo de Salmanticenſi Academia ſe adoleſcente florentiſſima; magnamque cupiditatem ei inſtillauit videndi Academiam illam celeberrimam. Itaque Maianſius memor aui ſui conſiliorum eo perrexit menſe Octobri anni 1719.

13. Profitebatur ibi eo tempore Iurisprudentiam Ioſephus Borrullius, Iuriſconſultus Valentinus, vir probus et doctus. Hic Maianſio elegit domum ſuae contiguam mercede conductam quo propius eum haberet: cumque adoleſcentem videret bene animatum ad Iurisprudentiae ſtudia auide amplectenda; explorare voluit quomodo Maianſius intelligeret Arnoldum Vinnium in difficilioribus locis, vt de ratione ſtudii legalis cum eo ageret. Cumque vidiſſet Maianſium non ſolum bene intelligere Arnoldi Vinni Commentarios; ſed in illis etiam quam plurimos errores acute animaduertere; dixit, Maianſium non debere agere de Iurisprudentia diſcenda, ſed docenda: neceſſarium tamen eſſe vt Scholam frequentaret, vt legitimos ſtudiorum annos adimpleret, quo Iuris laureolam adipiſci poſſet.

14. Vix Maianſius ingreſſus fuerat Salmanticam, cum Nationum Conſiliarii, aliique, quorum erat eligere illius celeberrimi Gymnaſii Rectorem, conſtituerunt eum nominare. Sed cum munus illud honorificentiſſimum magnos ſumtus requireret; ſtatuit ſcholaſticorum matriculae nomen ſuum non inſerere. Atque hoc pacto, licet Scholam frequentaret, in ſcholaſticorum numero non erat: ideoque non potuit eligi Rector illius inſignis Academiae.

Sum

15. Tunc in eo Gymnasio nullus Iuris Professor absoluebat dictata sua Legalia, aut Canonica, praeter Iosephum Borrullium. Ideo Maiansius solum eum audire voluit, cuius Tractatus excepit ut legitimos studiorum annos adimplere posset. Cum eo quotidie Academiam ibat, et inde domum redibat: idque Maiansio profuit vt scholasticorum insolentiam et insultationem euitaret. Nam illi solent tirones mirum in modum molestare: quod nullo modo tolerari deberet. Cum Borrullio perquam raro de Iurisprudentia loquebatur; licet enim esset in Iuris scientia bene doctus, et maturi iudicii; erat tamen ingenii tardiusculi, et grauitatis amantissimus: ideoque ingenii sui extemporale periculum facere nolebat. Sed quotidie Borrullius et Maiansius pomeridianis horis ambulabant per Salmanticenses agros, aut Tormis ripam, concurrentibus doctoribus Alfonso Quirosio viro facetissimo, et Simone Balneario maturi iudicii, tunc extraordinariis Iuris Ciuilis Professoribus, postea ordinariis. Praeterea Maiansius arctissimam habebat amicitiam cum Iohanne Baptista Cabrera adolescente optimi iudicii, doctrinae exquisitae, et maximarum virtutum, quocum ad hunc vsque diem arctissimo amoris vinculo coniunctus est.

16. Dum Gregorius Maiansius fuit Salmanticae, magis variae lectioni, quam Iurisprudentiae studio se tradidit, propterea quod in Schola nihil aliud agebat quam excipere Borrullianos Tractatus, ac praeterea nullum exercitium literarium habebat.

17. Do-

17. Domi vero aut Arnoldi Vinnii *Selectas Iuris Quaestiones*, aut eiusdem *Partitiones Iuris*, aut Antonii Goueani opera, aut Iacobi Gothofredi *Fontes Iuris Ciuilis*, et Iani Vincentii Grauinae *Origines* eiusdem *Iuris* legebat, aut laudati Gothofredi *Commentarios ad titulum de diuersis Regulis iuris antiqui* relegebat. Habebat enim paucissimos libros. Praecipuum vero tempus in amoenioribus literis collocabat.

18. Inter alia Francisci Sanctii *Mineruam* quam videre cupiebat, nactus fuit; eamque paucis diebus in commodiorem breuioremque ordinem redegit. Praeterea cum magna voluptate legit eiusdem Sanctii *Organum Dialecticum et Rhetoricum*, illudque etiam accommodauit in vsum suum. Studiosissimus est Gregorius Maiansius Sanctianorum operum propterea quod ex eis, cum esset adolescentulus, fructus cepit vberrimos. Ideoque Francisci Sanctii Brocensis opera omnia magna diligentia, et multis expensis collegit, cupitque vt simul edantur praemissa eius viri Vita, ad quam scribendam dicitur magnum habere apparatum.

19. Doctoris laurea in Salmanticensi Academia non sine maximis sumtibus obtinetur, Nam splendidissimis coenis, publicis taurorum agitationibus, et magna pompa celebratur. Quae impensae solum minuuntur tempore luctus publici, qui forte obtigit mense februario anni 1720. Igitur Iosephus Borrullius, qui secundum legem Academicam Professoris honorarium aliter exigere non poterat; arrepta opportuna luctus occasione

(quo

(quo tempore taurorum agitationes, et pompae publicae omittuntur) facultatem absque praedictis sumtibus petendi Iuris Ciuilis lauream ab Regio Castellae Senatu obtinuit; et literariis functionibus praemissis, eam consecûtus fuit, gratulante, vt moris est, Gregorio Maiansio Salmanticensi Academiae Oratione fere extemporali, quam habuit pridie nonas Februarias memorati anni: quae Oratio typis mandata legitur inter eius Epistolas Latinas, prout edita fuit: et laudari meruit ab Emmanuele Martino adulationis hoste infensissimo.

20. Eodem anno 1720. VI. Calendas Iulias Vrbi Valentiae restitutus fuit Academiae Patronatus Belli caussa suspensus; et dum ageretur de eo recuperando; Iohannes Baptista Ferrerius a Gregorio Maiansio petiit opem auxiliumque literarium, vt se praepararet ad petendam Iuris Ciuilis Praeposituram, quam postea obtinuit. Maiansius igitur officii caussa in epitomen redegit aliquos *Tractatus* Iohannis Pugae, et Iosephi Borrullii, suo vtens iudicio in illorum abbreuiatione. Qua exercitatione expertus fuit, se facilitatem habere ad scribendum: cuius rei animaduersio eum postea permouit ad multa alia elucubranda.

21. Cum Paschalis Maiansius consideraret filium suum Gregorium non nisi post multos annos consecuturum Salmanticae Cathedram aliquam; statuit eum reuocare domum: cumque mater eius nobilis Maria Siscar graui morbo laboraret, celerius quam credebatur, accitus fuit. Tuncque Maiansius, nomine suo in scholasticorum matriculam in-

inserto, Iuris Ciuilis Baccalaureatum accepit Calendis Iuniis anni 1722; praeside Iosepho Borrullio; et Canonici Iuris, VIII. Eidus Martias eiusdem anni, praeside Matthia Chafreone, Valentino, in Salmanticensi Academia Iuris Canonici Doctore et Professore, homine lenissimi ingenii, et satis docto.

22, His laureolis obtentis profectioni proximus Maiansius supellectilem suam cum Iacobi Cuiacii, Hugonis Donelli, Antonii Fabri operibus omnibus, Iacobi Gothofredi Codice Theodosiano, aliisque libris selectis permutauit: quod postea Pater eius multum celebrabat, vt filii sui auiditatem studiorum extolleret.

23. Reversus Maiansius in domum paternam X. Cal. Iulias anni 1722. matre eius conualescente ingenium suum exercebat in *Disputationibus Iuris* scribendis vt paratior esset ad praelegendum, cum Valentiae Iuris Ciuilis supremas laureolas accepturus esset, et ad propugnanda Theoremata Iuridica, cum Cathedram esset petiturus. Atque haec fuit occasio scribendi magnum *Disputationum* numerum, quarum bona pars in lucem prodiit.

24. Hoc apparatu Valentiam petiuit: et Iuris Ciuilis lauream accepit XI. Cal. Decembreis anni 1722. praemittens propugnansque *Recitationem extemporalem ad L. si fuerit 5. de legatis 3.* quae postea excusa fuit ad calcem *Commentariorum ad quinque Iurisconsultorum Fragmenta*, et initio *Disputationum Iuris* tum Valentiae, tum Hagae Comitum editarum.

25. An-

25. Anno sequenti, cum Iustiniani Codicis Cathedram petiturus esset; voluit dare aliquod specimen ingenii sui, et cupiditatis colendi literas; atque in lucem publicam emisit libellum hoc titulo insignitum.

Ad quinque Iurisconsultorum Fragmenta Commentarii. Et ad legem si fuerit 5. de legatis 3. Recitatio Extemporalis. Valentiae in Ederanis apud Antonium Bordazar anno 1723. charta octuplicata.

26. Hos *Commentarios* ipse postea emendasse, et auxisse dicitur; et in *Cogitationibus literariis* ad celeberrimum virum Iosephum Patinium ait, se praeterea scripsisse ad *Fragmenta viginti quinque Iurisconsultorum:* sed neque illi emendati, et aucti; neque hi prioribus illis adiuncti, lucem publicam viderunt, cum opus sit eruditis expectatissimum.

27. XIII. Cal. Iulias eiusdem anni publice propugnauit Theoremata *De adiecto solutionis gratia: de Seruitutibus non oppignorandis: de Statuis et Imaginibus: de Suffragio: de indicta viduitate et lege Iulia miscella tollenda: et Sex. Papirii, Cinnae, Iulii Aquilae, et Granii Flacci Fragmenta.* Quo certamine feliciter gesto habuit eruditam *Recitationem extemporalem ad legem si qua ex feminis 2. Cod. de secundis nuptiis*, quae vna cum Tractatibus memoratis legitur inter eius *Disputationes Iuris.*

28. Petitam Codicis Iustinianei Cathedram sex antiquioribus competitoribus praelatus obtinuit Gregorius Maiansius Cal. Iuliis anni 1723.

29. Chri-

29. Christophorus Coret et Peris, doctor Theologus, et Latinitatis Professor in Ecclesia Metropolitana Valentina, e lingua Latina in Hispanam conuertit Iohannis Ludouici Viuis *Exercitationem linguae Latinae:* cupiebatque vt Gregorius Maiansius interpretationem suam priuatim emendaret, commendaretque publice. Sed cum Maiansius esset occupatus in Cathedrae petitione, versionem illam recognoscere non potuit; eam tamen largiter laudauit vt excitaret pueros ad Viuis lectionem. Dedit igitur Epistolam ad Coretum XIV. Cal. Augustas anni 1723. et excusa fuit initio *Dialogorum* Iohannis Ludouici Viuis, Valentiae apud Antonium Balle, eodem anno charta octuplicata, et recusa postea inter *Epistolas Morales*, *Militares*, *Ciuiles*, *et Literarias* a Maiansio Madridii editas anno 1734. Eiusdem Maiansii esse creditur Dedicatio versionis Coretianae vtpote recusa etiam inter memoratas Epistolas. Idque probat stili character omnino Maiansianus ob puritatem, simplicitatem, et elegantiam, quae in illa translatione non ita emicant. Vtraque epistola tertium edita fuit in praedicta *Dialogorum versione* a Coreto recognita et recusa Valentiae apud viduam Hieronymi Conecios, anno 1749. octuplicata charta.

30. Obtenta Iustinianei Codicis Cathedra, incredibile dictu est quantum laborauerit Gregorius Maiansius vt studiosam legum iuuentutem institueret. In Gymnasio Valentino non solum Tractatus legibus Academicis praescriptos dictauit; sed plures alios. Consideransque Iuris studiosis nihil aeque prodesse, ac Institutiorum Imperialium cognitionem

nem, eas extra ordinem explicabat. Praeterea domi suae vnam saltem, duas saepissime, et interdum tres etiam diuersas et quotidianas Institutionum Iustinianearum enarrationes habebat, praemittens explicationes in diem sequentem, et antecedentis rationem postulans a singulis discipulis, quorum magnus et praeter solitum erat numerus.

31. Anno 1724. tertiana febri laborans ob defatigationem ex assiduo et nimio labore, vouit Deo, se Sancti Aegidii Vitam scripturum, vbi primum conualesceret, et sanitati restitutus, scripsit eam, vtens actis fabulosis, qui nondum erat satis versatus in Historia Ecclesiastica, et, vt ipse dixit in *Praefatione*, stilum accommodauit recenti Hispanorum gustui: ideoque illius libelli dictio florida est, sententiis, et descriptionibus abundans: sed tamen bene morata, casta, et emendata. Prodiit in lucem hoc titulo.

Vida de San Gil. Abad. En Valencia por Antonio Bordajar, anno 1724. charta sedecies complicata.

Ita vero *Vita* illa placuit, vt ibidem eodem anno recusa fuerit eadem forma, auctior, et emendatior.

32. Dum a tertianis conualesceret laboriosissimus adolescens, Medici praecepto a lectione abstinere iussus fuit. Verum ne omnino esset otiosus, meditari coepit, quo pacto proponeret Iurisconsulti optimi ideam; eumque non lectione (neque enim aliquid legebat) sed meditatione et scriptione informare coepit: admonitusque a Patre

suo vt saluti suae consuleret; respondit, *se eo modo animum suum recreare.* Tunc itaque delineauit, adumbrauitque *Iurisconsultum* suum, quem postea varia lectione auxit, et ornauit; non tamen absoluit, ob superuenientes et nunquam cessantes occupationes, et ob incoepti magnitudinem, quam ipse Auctor descripsit in *Disputationum* suarum Praefatione.

33. A pueritia solitus est Gregorius Maiansius tabernarum librariarum libros euoluere ad emendos eos qui sibi magis placeant, perlectis antea variis in locis aliquibus versibus, ad iudicandum de illorum bonitate, quoniam non habebat virum aliquem eruditum, qui sibi indicaret libros, quos eligere debebat: nec primis studiorum annis Bibliothecarum vsum agnoscebat, adeo vt vel ipsum Nicolai Antonii nomen obscurissimum esset in Hispania, antequam ipse legeret eius *Bibliothecam* sibi fortuito oblatam. Forte igitur incidit in Didaci Saauedrae *Rempublicam Literariam*, vbi optimos scriptores laudatos vidit. Ex eo tempore prudentem illum et eloquentem virum magnifacere, et celebrare coepit: et sub praetextu laudum eius, *Orationem* edidit, qua Saauedram ad viuum expressit, et multorum Hispanorum opera critice recensuit. Oratio illa prodiit in lucem hoc titulo.

Oracion en alabanza de las obras de Don Diego de Saauedra Faiardo. En Valencia por Antonio Bordazar anno 1725. charta quadruplicata.

34. *Oratio* haec in Maiansium magnam inuidiam excitauit, propterea quod prima fuit in Hispania argu-

argumenti critici: et nonnulli auctores ibi notati, sunt ex eorum numero, qui fraternitatis consortio cum aliis deuincti sunt: ideoque aduersus illorum quemlibet nonnihil dicere, licet solum spectet ad criticen literariam, quam vnam Maiansius exercebat; est tamen periculosae plenum opus aleae. Eadem *Oratio* expuncto vno aut alio auctore, et nonnullis aliis praetermissis, emendatior postea prodiit praemissa Saauedrae *Reipublicae literariae*, Madridii apud Iohannem Zuñigam anno 1735. et tertium emaculatior apud eundem Zuñigam in *Exercitationibus Oratoriis*, anno 1739.

35. Moris erat in Academia Valentina vt Iuris studiosi e Scholasticorum numero suum eligerent Rectorem (diuersum ab eo quem Vrbs Valentia creat vniuersis Professoribus et Scholasticis Praefectum cum iurisdictione) cuius Scholastici Rectoris officium erat Theoremata defendere, et curare vt alii idem praestarent. Cum igitur Scholasticus quidam propugnaturus esset; voluit Maiansius magister eius, vt defenderet explicationem illam litoris maris, quam edidit Iosephus Aueranius, Antecessor Pisanus, *Interpretationum Iuris lib. 1. cap. 20.* Cum autem antagonistae Theorema illud impugnare nescirent; a Grammaticae et Rhetoricae Professoribus quibusdam opem auxiliumque petierunt, et in publico certamine, eorum subscriptionibus tanquam argumento petito a testimonio Pythagoreo, vsi sunt. Argumentantium magistri, qui tres erant, publicam illam et ridiculam subscriptionum ostentationem pro maximo

triumpho ducebant, quasi nefas esset dicere, quod homines Iuris imperiti improbarent. Maiansius vero cuius officium erat eo die, si qua difficultas occurreret, eam explicare propterea quod Theorema propugnabat discipulus eius; verba facere coepit: et vbi primum loqui orsus est, tres illi Iuris Professores, argumentantium magistri, surrexerunt, et inciuiliter abierunt ne Maiansium audirent de proposito argumento disputantem. Idque ei dedit occasionem edendi libellum extemporalem hoc titulo.

Iusti Vindicii Relatio de Disputatione quam habuit in Valentinae Academiae Sacello Gregorius Maiansius, Generosus, et Antecessor Valentinus, pro intellectu vero §. est autem 3. Inst. Imperialium de rerum diuisione. Cosmopoli (id est Valentiae) *apud Liberalem Euangelum* (Antonium Bordazar) *sub signo Lunae et canum, anno 1725.* charta octuplicata.

36. Nimirum Maiansius in huius opusculi frontispicio Lunam sculpere iussit cum lemmate: *Alta regebat equos*, et praeterea tres canes fugientes latrantesque capitibus aduersus lunam intentis cum hoc alio lemmate: *Saeuitque canum latratus in auras*: cumque hanc eandem tabulam idem praeposuerit aliquibus aliis opusculis apologeticis; creditus est habere illud symbolum, cum re vera longe aliud sit, videlicet circulus includens Delta, siue lapidem triangularem cum Paullino lemmate, *Omnia et in omnibus Christus*, ita vt *Christus* intra triangulum legatur. Tres illi Iuris Professores

iussi

iussi fuerunt postea ab Vrbe Valentia, Academiae Patrona, iteratae eiusdem Theorematis propugnationi adesse in desertae praecedentis Disputationis poenam, et ignominiam. Atque haec est historiola illius tumultus literarii. Iusti Vindicii *Relatio* recusa est in Maiansii *Epistolis* Latinis; et haec vna cum eius Disputatione typis expressa in eiusdem *Disputationibus Iuris*, Hagae Comitum anno 1752. Ex quibus apparet quanta sit Gregorii Maiansii ingenii celeritas, eruditio, et elegantia.

37. Cupiebat Maiansius vitas aliquas conscribere illustrium Hispanorum, in quibus Christianae, Politicae, et literariae vitae ideas optimas exprimeret, adiuncta stili proprietate et elegantia. Ideoque scripsit *Vitam Sancti Ildefonsi*, quam hoc titulo vulgauit.

Vida de San Ilefonso, Metropolitano de la santa Iglesia de Toledo. En Valencia por Antonio Bordazar anno 1726. charta sedecies plicata.

38. Dedicauit hanc *Vitam* illustrissimo viro Andreae Orbe et Sarreategui, Archiepiscopo Valentino, VIII. Cal. Martias eiusdem anni. Quae dedicatio typis iterata est in secunda huius Vitae editione Madridiensi anno 1727. inter *Epistolas Morales*, *Militares*, *Ciuiles*, *et Literarias.* Dicitur auctor *Vitam* hanc tertium edere cupere multo correctiorem, et auctam etiam aliquibus Dissertationibus, in quibus Cixillae Relatio, et multa alia monumenta, vt conficta arguentur. Caeteroquin *Vita* illa scripta est stilo puro, graui, et eleganti.

39. Anno 1326. et sequentibus, Maiansii Discipuli, alii in Academia Valentina, Iuris lauream obtinere volebant; alii minori sumtu, in Gandiensi. Eam ob caussam vt vtrisque praeesse posset, acceptas Salmanticae et Valentiae Iuris vtriusque laureolas referri curauit in matriculam Doctorum Gandiensis Gymnasii IX. Cal. Maias anni 1726. et in vtraque Academia dictauit plusquam quadraginta Recitationes extemporales; praefuitque Iuris laureas accepturis tricies et ter; vigesies et octies in Iure Ciuili; quinquies in Canonico, propugnans semper Tractatus a se elucubratos, cum alii solerent alienos. Vna tantum vice defendit alienum, Propugnatore scilicet in Theatrum literarium iam ascendente, et a se orante, vt sibi praeesse vellet.

40. Benedictus XIII. extremo die anni 1726. in Sanctorum catalogum retulit Ludouicum Gonzagam Societatis Iesu. Anno sequenti Iesuitae Valentini festis apparatibus id celebrarunt: atque Hieronymus Iulianus, Praepositus Domui, quam vocant *Professam*, a Gregorio Maiansio, cuius facultatem Poëticam ipse mirabatur, facile obtinuit, vt omnia epigrammata Latina, quae publice exponenda erant in Ludouici Gonzagae laudem, ipse solus pangeret. Atque ita factum est, Poëticae Artis peritis Epigrammatum auctorem mirum in modum celebrantibus.

41. Cum apud Ciceronem legisset Gregorius Maiansius, quam facile quis Iurisconsultus posset euadere; etsi Oratorum Iurisconsultissimo non assentiretur; sperauit tamen se paucis annis posse aliquid

aliquid praeſtare: quibus ſi non Ius vniuerſum, certe bonam Iurisprudentiae partem pertractaret. Itaque animum conuertit ad *Diſputationes Iuris* conſcribendas: et breui tempore centum abſoluit, ex quibus decem edidit, reliquas promittens, ſi priores lectoribus gratae eſſent. Prodierunt illae ſub hoc titulo.

Diſputationum Iuris liber primus. Valentiae in Edetanis apud Antonium Bordazar anno 1726. charta octuplicata.

42. Dedicauit has *Diſputationes* illuſtriſſimo viro Andreae Orbe et Larreategui, Archiepiſcopo Valentino VII. Eidus Martias eiusdem anni. Harum Diſputationum Dedicatio, et Praefatio leguntur etiam initio libri III. Epiſtolarum. *Diſputationes* autem poſtea recuſae ſunt aliquantulum auctiores Hagae-Comitum, anno 1752. ſexaginta aliis adiectis. In auerſa charta tituli huius operis edidit auctor Epigramma, in quo aliqua de ſe dixit, idque recuſum eſt *Epiſtolar. lib. V. epiſt. 5.* ſed quia pertinet ad eius Vitam literariam, hic repeti debet.

AVCTOR LECTORI.

Vber Oliua mihi patria eſt: genuere parentes
Ingenui, clara conditione pares.
Myſtica me nutrix non ſolum vindicat vna.
Vrbs Barchina mihi ſcire Latina dedit.
Turia quam ante fluit, Sophiae penetrauit amorem.
Hic Artis didici prima Elementa boni.

Inde suo accepit Tormis clarissimus alveo
Laurea prima mihi iure in vtroque data.
Haec Schola dat Iuris decora alta: Senatus honorem
Clarandi libros, Iustiniane, tuos.
Gandia me gremio suscepit, Iuris honores
Vtriusque mihi largiter accumulans.
Est mihi amica quies; et amicum scribere; duxi
Aegidii calamum facta per alma meum.
Atque Ildefonsi decoraui gesta decenti
Scriptura, quamuis inuida turba neget.
Nunc celebris Saauedra magis; Iurisque periti
Per me quinque viri multa per ora volant.
Notius est Litus: Ciuilis notior Artis
Per me cognitio. Plura quid hic referam?
Opprimitur scriptis pluteus, vix sole viginti
Magnos septem orbes conficiente mihi.
Hinc in me rabies. Hinc me non desinit unquam
Dente Theonino carpere Liuor edax.

43. Meretur hic legi iucunda historiola. Considerauit Maiansius, apud Valentinos in magna esse aestimatione Professorum Salmanticensium vel nomen solum, et famae suae se consulturum, si ab illis *Disputationes* suae commendarentur. Scripsit itaque Doctoribus, Matthiae Chafreoni, Primario in Salmanticensi Academia Iuris Canonici Professori, et Simoni Balneario, Institutionum Iustiniani in eadem Academia matutino interpreti,

vt *Disputationes* suas iam excusas, nondum vero editas, legerent; et, si eis placerent, publica commendatiuncula decorarent. Illi autem pro sua humanitate dixerunt, se non aliter id facturos, nisi ipse Maiansius praescriberet non vt auctor modestus, sed vt lector iudiciosus, quae sibi essent dicenda: Quibus cum inuitus assensisset; illi epistolas ad se missas subscribentes fecerunt suas: quas cum conferret huius rei nescius Paschalis Sala, Praepositus Valentinus eo tempore famigeratissimus propterea quod inter ceteros Theologiae Professores aliquali ingenii cultura praeditus erat; elato supercilio pronunciauit, *Maiansii Dedicationem*, in qua ille Marci Antonii Mureti disertissimi viri dicendi genus expresserat, *esse pedestrem; Chafreonis, eloquentem; Balnearii, loquacem.* Ab huiusmodi iudiciis pendere solet studiosi vulgi credulitas. Vtraque Epistola, et eiusdem operis Praefatio, omnes, elegantissimae, legi possunt in Maiansianis *Epistolis*, initio *libri tertii*.

42. Cum Gregorius Maiansius scripsit *Orationem*, in qua Didacum Saauedram laudauit, reprehensus fuit a nonnullis sincerae critices osoribus propterea quod in illa ausus fuit vituperare aliquorum scripta famigeratissima. Omissa igitur illa Critices parte, quae scriptorum vitia literaria iure notat damnatque; alio animum conuertit, ad laudandum scilicet eos, qui aliqua in re eloquentiam Hispanam adiuuerunt, vt quos vitiorum auersione ad verae eloquentiae amorem pertrahere non poterat; virtutum amore alliceret. *Praeterea*

veram Eloquentiae Ideam proponere voluit vt falsa reiiceretur, tumida scilicet, metaphorica, et inepta, Latinis Gallicisque vocibus, et locutionibus deformata, quae tunc praeualebat. Icirco edidit huius argumenti Orationem.

Oracion que exhorta a seguir la verdadera idea de la Eloquencia Española. En Valencia por Anto- Bordazar, anno 1727. charta quadruplicata.

45. Dedicauit eam Archiepiscopo Valentino Andreae Orbe et Sarreategui recens electo supremi Castellae Senatus Gubernatori, VIII. Cal. Iulias eiusdem anni: quae Dedicatio recusa est inter *Epistolas Morales, Militares, Ciuiles, et Literarias. Oratio* vero prelo iterum commissa fuit Lugduni sumtibus fratrum Deuille, et Chalmette vna cum *Epistolis* Nicolai Antonii, Antonii Solisii, et Christophori Crespi de Valdaura anno 1733. tertium Madridii apud Iohannem Zuñigam anno 1737. in *Originibus linguae Hispanae* aliquantulum emendatius: ac denique multo limatius Madridii in *Exercitationibus Oratoriis* anno 1733.

46. Cum mense septembri anni 1727. Madridii esset Maiansius vna cum Patre suo, quia Comite Oropesae sibi solui volebat magnam pecuniae summam, quam ei mutuam dederat; significauit vir cl. Iosephus Bermudezius se legere velle *Sancti Ildefonsi Vitam*, itaque Maiansius in eius amici gratiam eam recudi iussit ibidem octuplicata charta, apud Iosephum Marin, etiamsi libelli frontispicium Valentiam praeferat apud Antonium Bordazar. Dedicauit eam Maiansius Hispaniarum Regi Philippo V. per ma-

nus

nus illuſtriſſimi viri Andreae Orbis et Larreategui, perinde quaſi vtraque Epiſtola Valentiae data fuiſſet XVIII. Cal. Septembreis memorati anni 1727. ambae Epiſtolae leguntur inter *Morales*, *Militares*, *Ciuiles*, *et Literarias*.

47. Antonium Bordazarem valde amauit Gregorius Maianſius ob eximiam probitatem, ſubtile ingenium, iudicium rectum, et typographicae artis peritiam non vulgarem. Is cum a Maianſio petiiſſet vt ſuam Orthographiam Hiſpanam ſibi exponeret, et ille annuiſſet; libenter eum audiuit, et in ſcripta redegit quae ab eo acceperat, vſus tamen iudicio et dicendi genere ſuo, quod antea quam cum Maianſio communicaret, metaphoricum erat, et floridum; poſtea vero purius, maturiusque. Cumque libellum ſuum abſoluiſſet, Ariſtarchi ſui cenſurae ſe tradidit, qui eiusdem argumenti libros aliquos Bordazari largiens; iuſſit vt a ſe paullo ante ſcripta contraheret, et noua illa librorum doctrina magis illuſtraret: quod egregie praeſtitit Bordazar, in duabus aut tribus rebus a Maianſio diſſentiens, adhaerens ſcriptoribus, quos ab eo acceperat, Mathaeo ſcilicet Alemano, Gundiſaluo Correae, aliisque ſimilibus. Hoc tamen impedimento non fuit quo minus Gregorius Maianſius *Orthographiam* Bordazaream laudaret docta et eleganti Epiſtola ſcripta VIII. Cal. Maias anni 1728. Quin etiam effecit, vt Thomas Nauarrus, Praepoſitus Valentinus opuſculum illud probaret ex Ordinarii Eccleſiaſtici delegatione Cenſoriam Epiſtolam ſubſcribens pridie Cal. Maias eiusdem

anni,

anni, quae Epiſtola legitur inter *Morales*, *Militares*, *Ciuiles*, *et Literarias*. Praeterea ipſius auctoris rogatu, qui Typographis opus ſuum offerre voluit, feſtiuam amoenamque Dedicationem ſcripſit Maianſius, cuius initium Bordazar omiſit ob nimium leporem, ſubſtituitque aliud vſque ad illa verba, *Tales ſon*.

48. Cupiens Maianſius vt *Orthographia* illa inualeſceret, miſit eam plurimis amicis, tanquam opus Bordazaris, vti profecto erat, et nominatim Ioſepho Pardo de Figueroa, poſtea Marchioni Vallis vmbroſi in Regno Limenſi, qui literatorum amator videri volebat. Hic tamen ſuſpicatus fuit, *Orthographiam* non eſſe Bordazaris; ſed Maianſii, fortaſſe ob ſimilitudinem opinionum. Et perinde ac ſibi res eſſet certiſſima, ita ſe habere aſſeuerauit Benedicto Feiiooni, Monacho Benedictino famigeratiſſimo, cui Pardus *Orthographiam* miſit, hortans eum vt aduerſus illam ſcriberet, ſe ſufficiente editionis ſumtus. Bordazar eodem tempore eidem Feiiooni *Orthographiam* miſerat; eiusque reſponſum mirifice laudans Orthographicum illud ſyſtema, ſeorſim prelo commiſit, et praeterea praepoſuit eiusdem *Orthographiae* editioni ſecundae, legiturque etiam inter *Epiſtolas Morales*, *Militares*, *Ciuiles*, *et Literarias*.

49. Interea vero Benedictus Feiioo, inſcius editionis Epiſtolae ſuae; vt Ioſephi Pardi occultam petitionem calore aliquo reiiceret; reſpondit ei, *Maianſium etiam ſcripſiſſe ſibi ſuam eſſe Orthographiam*; additque, *ſe illam deſpicere*, *ac proinde nolle aduerſus eam ſcribere*.

50. Dum

50. Dum in hoc statu res essent; Saluator Magnerius *Orthographiam* euulgauit, in qua Bordazareum systema impetiit. Sed Bordazar Orthographia sua iterum in lucem emissa anno 1730. adiuncta docta lepidaque *Apologia*, eius conatus profligauit. Hanc editionem iussu Regii Castellae Senatus comprobauit Gregorius Maiansius Censoria Epistola Valentiae data VII. Eidus Octobreis, anni 1730. et postea recusa fuit inter laudatas Epistolas.

51. Illo tempore ipsum Benedicti Feiioonis Responsum Pardo missum, in Saluatoris Magnerii non solum aures, sed et manus etiam peruenit; cumque is acris esset Feiioonis insectator, apud Franciscum Rodam Bibliothecarium Regium illud deposuit, eiusque notitiam euulgauit, vt factis ostenderet, eundem eodem tempore, eandem Orthographiam, putantem esse Bordazaream, tanquam perfectissimam laudasse; credentemque esse Maiansii, tanquam rem nullius momenti despexisse. Hoc Gregorius Maiansius nihili fecisset, nisi Benedictus Feiioo per immemoriam, vt credere par est, addidisset in epistola ad Iosephum Pardum, *ipsum Maiansium scipsisse sibi, Orthographiam esse suam.* Quod longissime a veritate aberat. Hinc magnae contentiones excitatae. Nam Gregorius Maiansius Latina Epistola Oliuae data Cal. Septembribus anni 1731. grauiter conquestus est cum Feiioone de falso testimonio; et ab eo humaniter petiit, vt ingenue et publice fateretur, nihil eiusmodi a Gregorio Maiansio sibi scriptum fuisse. Sin aliter ei placeret, aequo ani-

animo ferret euulgationem Latinae Epiſtolae vna cum aliquibus animaduerſionibus Hiſpana lingua ſcriptis, in quibus Maianſius notauerat aliquot eius errores. Benedictus Feiioo candide reſpondit, ſe crediditſſe, Gregorium Maianſium eſſe verum auctorem Orthographiae, quia ita ſibi ſcripſerat eques in Regia degens (is erat Pardus) et idem ſibi viſum fuiſſe ob praeiudicium ignorantiae Typographorum Hiſpaniae: atque epiſtolam ſuam finiuit, Maianſio permittens facultatem edendi illam, quam Oueti dedit III. Eidus Octobreis anni 1731. Qua facultate vtens Maianſius, eam euulgauit adiuncto reſponſo ſuo, in quo Feiiooni gratias egit ob animi candorem; oſtenditque nullo modo ſe commotum fuiſſe ob contrarium Feiioonis iudicium. Nam *velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.* Hanc epiſtolam dedit Maianſius Valentiae VII. Eidus Nouembreis anni 1731. qui potuiſſet aliam eiusdem Feiioonis epiſtolam edere, in qua vt Maianſii gratiam retineret, manifeſtius dictum ſuum retractauit: ſed vir magnanimus noluit eſſe rigidus exactor alienae ſatisfactionis.

52. At non ita ſe gerebat Saluator Magnerius, qui Madridii VIII. Cal. Decembreis memorati anni, epiſtolam ſcripſit, ediditque, qua ab eodem Maianſio ſcire volebat Feiioonis contraria facta ne inter illos eſſet reconciliationi locus; atque ita iniretur certamen literarium, quod homines prauiſſimi fouebant, expectabantque. Maianſius vero ne iurgium amicabiliter finitum ſuſcitaret; noluit Magnerio reſcribere publice, ſed priuatim, nec affirmans, nec negans Feiioonis dicta contraria;

ſed

ſed Magnerium dimittens ad ipſius Feiioonis epiſtolam. Tunc Magnerius Maianſianam Epiſtolam euulgauit adiuncto reſponſo a ſe dato Madridii eodem anno IX. Cal. Ianuarias.

53. Ex eo tempore Benedictus Feiioo, idem qui largiter Gregorium Maianſium laudauerat in ſuo *Theatro Critico Vniuerſali* (Hunc titulum ille operibus ſuis criticis praefixit) occulte eundem reprehendere coepit in priuatis ſermonibus, et eundem verbis tantum non expreſſis deſignauit *Epiſtolarum*, quas ipſe *eruditas* nominauit, *libro II. epiſtola 6.* vbi exemplo ſuo, Rhetoricae inutilitatem probare conatus fuit, quam idem ait, ſe puerum praeguſtaſſe, decem, aut duodecim lectionibus. Feiioonis aſſeclae etiam ex eo tempore Gregorio Maianſio perpetuum bellum indixerunt, quod vir fortiſſimus neque deſpicientia, neque animi aequanimitate, neque conſtanti ſilentio euitare potuit. Sed Gregorio Maianſio nihil vnquam obſtitit, quo minus rem literariam, quantum poſſet, promoueret, vt omnis eius vitae progreſſus luculenter oſtendit.

54. Inter Statum Eccleſiaſticum Regnorum Caſtellae et Legionis, ac Monachos Hieronymianos Regii Coenobii B. Laurentii Scorialenſis magna erat controuerſia anno 1728. in qua illi contendebant, ſe habere libertatem excudendi Eccleſiaſticos libros; hi priuilegium eorum edendorum vendendorumque obtendebant. Ea de re ab Status Eccleſiaſtici Procuratoribus conſultus fuit cl. vir Ioſephus Bermudezius, celeberrimus pragmaticus, qui

qui perquam diligenter scripsit Maiansio vt Statui Ecclesiastico suppetias ferret: quod egregie praestitit. Nam Antonium Bordazarem, Hispanorum Typographorum Principem, armauit: qui si in illius negotii directione omnino liber fuisset, ac res non fuisset acta per Procuratores, qui res Typographicas non intelligebant, fortasse Status Ecclesiasticus victor euasisset. Sed quae Bordazar suggerebat distincte et clare, proferebantur confuse et obscure. Idcirco aliorum inertiam pertaesus, exhibuit tandem Bordazar anno 1732. ideam chartae hispanae, literarum omnis generis, et pretiorum singulorum librorum ad Ecclesiasticos vsus pertinentium: sed licet re ipsa dedit experimenta innegabilia; tamen quia ei deerat auctoritas, nihil efficere potuit, perinde quasi rem proponeret impossibilem. Itaque Status Ecclesiasticus Castellae et Legionis immanibus pretiis libros emit extra Hispaniam excusos, quos modicis comparare posset in Hispania impressos multo elegantius, vt ostendunt formae a Bordazare exhibitae.

55. Forte contigit vt Stephanus Bernardus Yañez, Corio Valentinae Paroeciae B. Martini, III. Cal. Iunias anni 1728. Orationem haberet Carcaxentii in laudem sanctissimi Corporis Christi. Is igitur discipulatus iure (nam quamuis erat Curio, Academiam Maiansii frequentabat) ab illo petiit, vt eam ederet, commendaretque. Sed cum vir sapiens Curionem hominem bonum et simplicem, at parum doctum, laudare vt bonum Oratorem non auderet; nonis Iuniis eiusdem anni

Bor-

Bordazaris nomine Dedicationem ſcripſit ſatis feſtiuam ob ſententiarum ambiguitatem.

56. Michaël Giner, Ludimagiſter Morellanus, ſcripſerat *Proſodiam*. Hanc emendauit et adauxit Dominicus Niñerola et Tena, ibidem Grammatices atque Rhetorices Profeſſor; qui cum eam edere vellet, ab Ordinario Eccleſiaſtico impetrauit vt Maianſio delegaret Cenſoris partes. Ea de cauſſa Maianſius *Proſodiam* illam approbauit III. Nonas Decembreis anni 1728.

57. IV. Eidus eiusdem menſis iuſſu Regii Caſtellae Senatus probauit *Theophilum renouatum* a Daniele Galtier Bitterenſi, vtriusque Iuris Profeſſore in Academia Tholoſana, quem ipſe effecit vt Valentinae Academiae Anteceſſores eligerent, vt ſtudioſa legum iuuentus facilius diſceret Iuſtinianei Iuris Elementa. Quod acri contentione, ſed maiori arte praeſtitit. Nam cum reliqui Iuris Profeſſores id nollent, prae omnibus repugnante Iohanne Baptiſta Ferrerio, Praepoſito Valentino, Maianſius eis ſuaſit vt ſe atque Ferrerium arbitros eligerent; cui propoſitioni cum illi conſenſiſſent, exiſtimantes vnumquemque in conſilio ſuo permanſurum; facilius vnum Maianſius, quam omnes vicit. Atque ita liber ille in adoleſcentium vtilitatem Valentiae recuſus fuit typis Antonii Balle anno 1728. charta quadruplicata. Maianſii Epiſtola Cenſoria iterum prodiit in lucem publicam in IV. *libro epiſtolarum*.

58. Valentiae moris eſt in Oratorio Congregationis Nerianae, Ieſu Chriſti Natalem celebrare

Oratiuncula, quam puer aliquis habere ſolet. Cum igitur hae partes mandatae eſſent Iohanni Antonio Maianſio tunc decenni, et optimae ſpei puello; frater eius Gregorius ei tradidit Oratiunculam in qua Sanctum Leonem imitari voluit. Eam inſcio auctore edidit Antonius Bordazar, Valentiae anno 1728. charta octuplicata, et recuſa poſtea fuit Madridii in *Exercitationibus Oratoriis*, anno 1739.

59. Per ea tempora Maianſius in eiusdem fratris ſui gratiam quotidie ad verbum interpretabatur Hiſpane bina Alciati Emblemata vt ille ea mandaret memoriae ſuae.

60. Maianſiana Familia in Oliuenſi Fratrum Franciſcanorum Coenobio ſepulturam habet, et ſacellum dicatum Conceptioni Virginis Mariae. Vt igitur Gregorius Maianſius pietatem ſuam erga Dei genitricem oſtenderet, Orationem edidit hoc titulo.

La Concepcion puriſſima de la Virgen Maria madre de Dios, Oracion impreſſa en Valencia por Antonio Bordazar anno 1729. charta octuplicata.

61. Haec Oratio emendatius recuſa eſt Madridii in *Exercitationibus Oratoriis*, anno 1739. Eius ſcopus eſt probare Virginis Mariae Conceptionem fuiſſe immaculatam. Dictio pura et emendata: dicendi character, ſublimis, et grauiter ornatus eſt.

62. Cum in Regno Valentiae graſſarentur Medici ſanguinarii, et Gregorius Maianſius cuperet vt Hippocratis doctrina praeualeret; in publicam

lucem

lucem emiſit, etſi nomine ſuo occultato, huius libelli verſionem.

El Mundo engañado por los falsos Medicos. Discursos del Doctor Iosef Gazola Verones, Medico Cesareo, i Academico Aletofilo: obra postuma traducida fielmente del Toscano. En Valencia por Antonio Bordazar, anno 1729. octuplicata charta.

63. Hic libellus, qui reuera eſt ſatyra aculeata aduerſus malos Medicos, dedicatus fuit bonis Medicis, et a Gregorio Maianſio, cuius eſt etiam Praefatio, iuſſu Regii Caſtellae Senatus approbatus fuit Cal. Martiis anni 1729. vt videre eſt in *Epiſtolis Moralibus, Militaribus, Ciuilibus, et Literariis.* Accuratius poſtea recuſus fuit Valentiae apud Antonium Balle, anno 1733. charta etiam octuplicata, adiuncto *Dialogo Equitis Petri Mexiae*, in quo de Medicis habetur ſermo: et cum hoc additamento dicatus fuit cl. viro Ioſepho Bermudezio, Regii Caſtellae Senatus Conſiliario, Dedicationem ſubſcribente librario quodam mercatore X Cal. Martias anni 1733. quae Dedicatio inſerta eſt *Epiſtolarum* Hiſpanarum collectioni a Maianſio editae. In huius libelli verſione nonnullis in locis aliqui auctoris errores emendati ſunt; quia ſine illorum correctione opuſculum illud in Hiſpania in lucem publicam proferre non licuiſſet. Medicinam illo tempore profitebatur Ioſephus Arnau, doctor Valentinus: et ſtatim ac inaudiuit, libellum illum Gazolae publicatum iri; librario qui editionis ſumtus ſuffecerat, obtulit, ſe illos ei reſtituturum adiectis praeterea quinquaginta libris Valentinae

monetae, modo omnes excussos libros sibi traderet igni consumendos, ne libellus ille lucem publicam videret. Timebat scilicet ille Medicus ne suorum librorum venditio impediretur. Adeo vehemens esse solet imaginationis vis.

64. Anno 1730. XIX. Cal. Ianuarias Iuris Ciuilis praeposituram petiturus Maiansius, meritorum faciendi gratia publice propugnanda proposuit Theoremata *de Vsufructu*, itemque *de Vsufructu earum rerum quae vsu consumuntur, vel minuuntur: De his quae Poenae caussa relinquuntur: De his quae sub modo legata, vel fideicommissa relinquuntur: De Adsignatione libertorum: De eo cui libertatis caussa bona addicuntur.* Quibus fortiter propugnatis, ac ceterorum competitorum Theorematis validissime impugnaeis more suo; VI. Cal. Ianuarias eiusdem mensis sorte sibi oblatam *legem Christi de edendo* extemporaliter, et eruditissime explicauit. Sed licet reliquos omnes Praepositurae competitores longe antecelleret ingenio, doctrina, et assiduitate, ac dexteritate docendi; tulit tamen repulsam ab Vrbe Valentia, eius Gymnasii Patrona, suffragium pro illo ferentibus duobus eius Vrbis Aduocatis, Iohanne Baptista Borrullio Iosephi fratre, et Saluatore Lupo, quibus accessit Blasius Iouerius vices iussumque gerens Correctoris Vrbis Saluatoris Pinedae, reliquis omnibus Rectoribus in alia euntibus pridie Nonas Februarias anni 1730. ex quo die constituit Maiansius illi Vrbi vale dicere, studiis in vtilitatem publicam per quietiorem viam directis.

65. Quan-

65. Quantum fuerit ingenium Antonii Bordazaris vel ex eo patet quod cum Latinam linguam non didiciſſet; ex cognatione tamen et collatione cum Hiſpana, filia ſua, illam intelligeret. Ideoque auſus fuit Hiſpana lingua ſcribere *Orthographiam Latinam fixe aptatam frequenti vſui antiquorum Latinorum, et eruditorum recentium.* Quam *Orthographiam* Gregorius Maianſius etſi Bordazarei conſilii non fuiſſet auctor; opuſculo tamen inſpecto, non ſolum effecit vt Thomas Nauarrus Praepoſitus Valentinus iuſſu Iudicis Eccleſiaſtici illud probaret, Cenſoriam ſubſcribens Epiſtolam V. Cal. Apriles anni 1730. ſed ipſe etiam lepide laudauit memoratum opuſculum epiſtola ad Auctorem data IV. Nonas Maias eiusdem anni, quae recuſa eſt inter *Epiſtolas Morales, Militares, Ciuiles, et Literarias.*

66. Cl. Viui Didaci Saauedrae *Respublica Literaria*, opus eſt ingenioſum, eloquens, et vtile propter nonnullorum ſcriptorum notitiam criticam: edita fuit mendoſiſſime a Melchiore de Fonſeca et Almeida ſub nomine ficti ſcriptoris Claudii Antonii de Cabrera, hoc praemiſſo titulo; *Iuicio de Artes i Ciencias* (hoc eſt, *Iudicium Artium et Scientiarum*) *Madridii apud Iulianum de Paredes anno 1655.* octuplicata charta. Deinde recuſa fuit Compluti ex parte emendata; et reſtituta fuit auctori ſuo ab Ioſepho de Salinas, Theſaurario Eccleſiae Complutenſis, vero titulo praefixo *Reipublicue Literariae, apud Mariam Fernandez, anno 1670.* charta etiam octuplicata. Has editiones principes, et inter ſe diſcrepantes, contulit Gregorius Maianſius;

sius; vicissim alteram ex altera emendauit; et ex vtraque sustulit quam plurimos errores non solum typographicos, sed etiam amanuensium: atque a se castigatum exemplar, hoc titulo edidit.

Republica Literaria, obra postuma de Don Diego de Saauedra Fajardo. En Valencia por Antonio Balle, anno 1730. octuplicata charta.

67. Maiansius ex delegatione Iudicis Ordinarii Ecclesiastici V. Nonas Maias memorati anni praemisit Saauedranae *Reipublicae* Censoriam Epistolam, quae legitur inter *Epistolas Morales, Militares, Ciuiles, et Literarias*, et Mercator librarius subscripsit Dedicationem III. Nonas Maias praedicti anni, legiturque in eodem libro. Postea *Respublica Literaria* recusa fuit Madridii apud Iohannem Zunigam anno 1735. octuplicata charta, paullo emendatior, et indice locupletata, praemissa *Oratione in laudem Saauedrae* etiam emendatiore quam antea. Veruntamen haec correctior legitur in *Exercitationibus Oratoriis*.

68. In animo habet Gregorius Maiansius Commentariis bene longis illustrare hanc *Rembublicam Literariam*, et in eam rem habet congestum magnum notitiarum apparatum. Caussa adeo propensi animi erga laudatum Didaci Saauedrae opus est, propterea quod cum esset adolescens, et neminem haberet, qui optimos libros sibi indicaret; solebat emere illos, quos laudauit Balthasar Gracianus in *Arti Ingenii*; et plerumque praeter pecuniam oleum et operam perdebat in eorum lectione. Sed posteaquam Didaci Saauedrae *Rempublicam*

publicam Literariam nactus fuit, libros lectu dignos emere coepit. Nimirum Gracianus, alioquin vir ingeniosus, dicendi genus amauit acutum, ludibundum, et homonymiis confartum; Saauedra vero, iudiciosum, graue, et perspicuum.

69. Si qua est Historia Hispane scripta omnibus numeris absoluta; ea proculdubio est, quam *De Bello Granatensi* elucubrauit maximi iudicii et doctrinae vir, illustrissimus Didacus Furtatus de Mendoza, quam postumam edidit Ludouicus Tribaldus de Toledo, cuius exemplaria cum non essent venalia, effecit Maiansius vt prelo multiplicarentur, et ex Ordinarii Ecclesiastici delegatione egregium illud opus laudauit Eidibus Iuniis anni 1730. cuius laudatio, Mendozae perquam honorifica, recusa est inter *Epistolas Morales, Militares, Ciuiles, et Literarias.* Cupit idem Maiansius vt sibi otium sit ad exemplar editum conferendum cum duobus aliis manuscriptis, quae possidet, vt eximium opus integritati suae restituatur.

70. Iosephus Ioachimus Lorga, Latinae Linguae in Academia Valentina Professor, *Orationem* habuit *de caussis corruptae Latinitatis, et de illius remediis.* Eam Maiansius recognouit, et Censoris agens partes laudauit Ordinarii Ecclesiastici auctoritate praecedente pridie Eidus Ianuarias anni 1731. quod Maiansii iudicium legitur in eiusdem *Epistolarum lib. VI. Epist. 12.*

71. Michaël Egual a secretis Senatus Oliuensis e lingua Etrusca in Hispanam transtulit Iohannis

Francisci Loredani Patricii Veneti *Declamationes Geniales*; cupiensque vt diligentia sua Gregorio Maiansio probaretur; ab Regio Castellae Senatu obtinuit, vt eligeretur Censor, cuius sententia fuit, vt omissis *Declamationibus Antonini Caracallae amasii et Phrynes Lasciuae*, reliquae, si supremo Consilio videretur, typis permitterentur. Dedit Maiansius Epistolam Censoriam V. Cal. Aprileis anni 1731. effecitque vt ex Ordinarii Ecclesiastici delegatione idem censeret Iohannes Salua, Monachus Franciscanus; et vt cl. vir Iosephus Bermudezius, Consiliarius Regius sibi dicatum opusculum remuneraret.

72. Eidibus Iuliis eiusdem anni 1731. amisit Gregorius Maiansius fratrem suum Vincentium, probitate, ingenio, et eloquentia praestantissimum adolescentem, cuius laudes cecinit eximius philologus et iurisconsultus praestantissimus Iosephus Finestres de Monsaluo, vt videre est in Maiansianarum *Epistolarum lib. IV. epist. 20.*

73. Dies qui praecessit Nonas Decembreis eiusdem anni 1731. multo acerbior fuit Gregorio Maiansio. In eo enim mortali vita fungi desiit eius mater Nobilis femina Maria Siscar, quae probitate, iudicio, et affabilitate referebat patrem suum Iohannem Siscarem; ingenio fratrem suum Paullum, celebrem olim Philosophiae Professorem in Academia Valentina; liberalitate autem praesertim erga egenos, et cum opus esset, eloquentia, multum eminuit. Maiansius ei frequenter dicere solebat, *se, cum scripturus esset Rhetoricam, non*

aliis

aliis quam illius exemplis vſurum. Ab illa enixe amabatur, et ipſe eam viciſſim, vt colligi poteſt ex epiſtola ad Philippum Buliphonem Valentiae data paucis diebus poſt eius mortem.

74. Ioſephus Emmanuel Miniana, Monachus Trinitarius, *Continuationem* ſcripſerat *Hiſtoriae* Iohannis Marianae *de Rebus Hiſpaniae.* Cumque fruſtra petiiſſet a ſui ſodalitii Miniſtro Generali vt opus ſuum (grauiter, et Latine ſcriptum) Pariſiis, aut vbi commodius ſibi videretur, edi curaret, deceſſit Valentiae VI. Cal. Auguſtas anni 1730. Sed amici officio non defuit Gregorius Maianſius: nam per nobiliſſimum virum Iohannem Theodericum Schombergium curauit vt Petrus Hondtius magnifice Hagae-Comitum ederet anno 1733. quatuor voluminibus in folio, Marianae *Hiſtoriam de Rebus Hiſpaniae* vna cum Minianae *Continuatione:* cujus autographum effecit Maianſius vt Blaſii Iouerii Vicarii Correctoris Vrbis Valentiae beneficio a Monachis impetraretur, atque ad Hondtium mitteretur, quo eius editio emendatior eſſet. Cuius rei gratia Valentiae Eidibus Nouembris anni 1731. juſſu Regii Caſtellae Senatus Minianae *Continuationem* approbauit: doctamque *Admonitionem* ad Lectorem praemiſit: praeterea Hyacinthi Iouerii nomine, qui tunc erat duodecennis, Minianae Vitam adornauit; et illius etiam nomine ſcripſit grauiſſimam Dedicationem magni operis oblati ſereniſſimo Domino Ferdinando Borbonio Aſturum Principi, nunc Hiſpaniarum Regi. Itaque admiratione dignum eſt, Treuoltienſes Criticos notaſſe ſtili vbique ſimilis diſcrepantiam: et Iouerianum Maianſiano praetuliſſe.

tuliſſe. Sapientius argumenta diſtinxiſſent; cum alia aliis magnificentius tractari debeant. In eo vero Critici illi laudandi ſunt, quod cum Maianſius monuiſſet, Iohannem Marianam in ſua interpretatione Hiſpana anni 1608. confeſſum fuiſſe, Berengariam, Ferdinandi III. Caſtellae Regis matrem, fuiſſe natu grandiorem, quam Blancam Ludouici IIX. Galliarum Regis vxorem, contra quam ipſe Mariana ſenſerat, et ſcripſerat in primis Hiſtoriae ſuae editionibus Latina et Hiſpana; ipſi qui factum hoc negauerunt, palinodiam candide cecinere poſtea. Huius editionis conditiones leguntur in Maianſianarum *Epiſtolarum lib. VI. epiſt. 9.*

75. Cum Rochus de Ville, negotiator typographus Lugdunenſis, Hiſpaniam peragraret commercii librarii cauſſa; Valentiam adiit, et in Bibliotheca Maianſiana vidit Iohannis Pugae, Iurisconſulti et Anteceſſoris Salmanticenſis *Tractatus Academicos* eleganter deſcriptos; et a Gregorio Maianſio nullo negotio impetrauit vt eos ſibi concederet edendos vna tantum conditione vt illos Maianſius dedicaret Cardinali Herculi Florido, quem, multorum opinionem ſecutus, credebat eo tempore eſſe eximium literarum, et literatorum Patronum. Huius operis Cenſor a Regio Caſtellae Senatu ſententiam dicere iuſſus, fuit Ioſephus Antonius de Montiano et Sopelana, Regii Valentini Auditorii Senator, qui Cenſuram a Maianſio acceptam ſubſcripſit Valentiae Cal. Septembribus anni 1731. vt videre eſt in *lib. VI. Epiſtolarum* Maianſiii, *epiſt. 17. Puganis Tractatibus* praemiſit ipſe

ipse auctoris *Vitam*, quae legitur in eodem libro, *epist. 16.* et epistolam ad Cardinalem dedit XV. Cal. Ianuarias anni 1732. *Tractatus* vero prodiere triennio exacto posteaquam typographo traditi fuerant, hoc titulo:

Don Ioannis Pugae et Feiioo I. C. et Primarii Antecessoris Salmanticensis, Regii Neapolitani Senatus Praesidis Tractatus Academici. Siue, Opera omnia postuma ex sparsis manuscriptis nunc primum in vnum collecta, recognita, digesta, indicibus adaucta, et in duos tomos distributa a Don Gregorio Mayans I. C. Oliuensi, et in Academia Valentina Iustinianei Codicis interprete. Lugduni apud fratres Deuille, 1735. duobus voluminibus in fol.

76. Conqueri solet Maiansius accurationem defuisse in horum *Tractatuum* editione, cum ipse exemplar dedisset optime descriptum, et a se emendatum.

77. Cum Gregorius Maiansius experiretur Lugdunensium Typographorum tarditatem; cupiens de Cardinali Florido bene mereri, statuit Epistolas suas Latinas colligere, et edere, easque pridie Nonas Aprileis anni 1732. eidem Cardinali dedicauit, qui literas amare minus, quam fama ferebat, postea Gregorio Maiansio visus est. Prodierunt Epistolae hoc titulo.

Gregorii Maiansii, Generosi et Antecessoris Valentini Epistolarum libri sex. Valentiae Edetanorum typis Antonii Bordazar de Artazu, anno 1732. charta quadruplicata. Postea recusae fuerunt Lipsiae apud Fridericum Matthiam Frisium, anno 1737. edente

edente illas Gottlob Augusto Ienichen, charta etiam quadruplicata,

78. Epistolae finiuntur dulcissimo Carmine Gregorii Maiansii *ad suum Epistolarum volumen*, quod quia ad eius Vitam pertinet, operae pretium erit huc transcribere, praesertim cum ipse auctor emendauerit vnum versiculum, in quo verba fuerant transposita.

Bibliopolarum mauis habitare tabernas,
Quam, Liber, inclusus tutior esse domi.
Odisti claues: ideo discedere gestis.
Tempus erit forsan cum latuisse voles.
Scilicet incipies manibus sordescere vulgi,
Atque tui quiuis censor acerbus erit.
Non ita nutritus, non hos conscriptus in vsus.
Contrectauit adhuc non nisi amica manus.
Nempe hae literulae caris peramanter amicis
Transmissae, acceptae sunt peramanter eis.
Atque fuit pretium non res, selectaque verba;
Sed qui iucundas res facit vnus amor.
Qui tibi sensus erit dirus cum laeserit vnguis,
Hoc tantum doctus res lacerare bonas?
Pascere tunc malles tineas taciturnus inertes,
Quam non fanda pati, suppliciumque ferum.
O qui clamores! o grata sigilla! gemisces.
Quo fugies! Reditus iam tibi nullus erit.

Implo-

Implorabis opem docti celebrisque Decani,
Atque Feneſtellae, tum, Miniana, tuam.
Incaſſum: Se quisque teget; magnumque triumphum
Ducet, diſcedat ſi latere incolumi.
Me ſimilis fortuna manet: nam incommoda tangent
Me tua: vtrumque rates vna eademque vehit.
Si te tempeſtas demergit, mergar et ipſe:
Suauis et aura tibi, ſuauis et ipſa mihi.
Scire volet Lector quid agam? Tu noſcere debes
Quae mens illius, num bona, numue mala.
Si forſan fuerit ſincerae frontis, aperte
Promere tu poteris quidquid ago, ac meditor.
Mens corpusque valent, victus contingit abunde,
Ad ſumtus modicos eſtque crumena ſatis.
Nil ait eſſe prius ſceleris quam neſcia vita.
Nil niſi quod dignum ſit ſapiente probat.
Cum ſol exoritur, conſurgit, et Indicus illi
Porrigitur potus, ſcriptitat, atque legit.
It ſacras Aedes, et blandos quaerit amicos:
Quid verum atque decens curat, et omnis in hoc.
Maior vt accedat ſelectis copia libris
Quaeritat: hinc carus, Bibliopola, tibi.
Haec agit, haec curat; nam caetera non facit hilum.
Illi grata quies otia non pariens.
Quod ſi Lector erit tetricus, mentisque malignae
(Nec minima iſtorum pars, vt opinor, erit)

Tu

Tu caue ne dicas quod laedere possit vtrumque.
Si quid agam, quaerat, cautior haecce refer.
Immoritur studiis, formidat naribus vti.
Illum non reddit palma negata macrum.
Dente Theonino cum circumroditur, optat,
Ne in sese rursus turba maligna ruat.
Non abigit scutica, possit cum fortiter vti;
Sed sinit offendat liuor iners solido.
Nec lamentatur non apparere labores.
Olim scit meritis praemia digna fore.
Plura caue referas: nam quidquid dixeris, aures
Innumerae accipient, innumerisque modis.
At tu si exoptas te vt Iudex aestimet aequus
Scriptaque cum venia qualiacumque legat;
Trans Pyrenaeos, iterumque iterumque monebo,
Te longe referas. Si sapis, eia fuge.
Curre vbi conspicitur pulcris Sutetia tectis.
Est aetate grauis Vir, grauior meritis.
Cura eius meritum floret, sua praemia virtus
Obtinet, est doctis conspicuusque locus.
FLORIDVS *est illic, quo non praestantior alter*
Ad res praeclaras aere ciere viros.
Hic res Gallorum, Europaeque negotia summa
Expedit, atque suo temperat arbitrio.
Huic vellem placeas, huius suffragia ferre
Te optarem (fateor) me haec tenet ambitio.

Popli-

Poplite submisso manibus fige oscula sacris:
Haecque illi nostro nomine dicta refer.
Vrbe ab Edetana misit Maiansius ad Te,
Vt me, seque scias tempus in omne tuos.
Plura caue dicas: in publica commoda pecces,
Si imprudens illi tu remoram facias.
Vade, vale, titubare caue, mandataque serua.
Sit tibi cura tui, sic erit atque mei.

79. Cum Emmanuel Martinus, vir eruditissimus, et eloquentissimus, has Epistolas accepisset; scripsit Maiansio, *se collyriis vsum fuisse vt legere posset et relegere Epistolarum Praefationem*, quae mirum in modum placuit grauissimo illi censori. Non sine caussa creditur, aliquas Epistolas, etsi aliorum nomina praeferant, eiusdem esse Maiansii, stilo id confirmante. Nam Maiansianus est purus; simplex, iudiciosus, semper aliquid docens, et dulcissimus. Difficulter autem credi potest quamplurimos scriptores vndequaque simillimam seruare loquendi formam. Expectant eruditi ab eodem auctore duodecim praeterea Epistolarum libros, quae aetate maturiore scriptae, et a viro quotidie se ipsum vincente, proculdubio erunt sapientiores, et thesaurus literarius omnibus scientiarum cultoribus vtilissimus.

80. Ediderat Romae Cardinalis Aluarus Cienfuegus librum inscriptum, *Vita abscondita:* aduersus quem scripsit Thomas Magdalena, Dominicanus, edito libello, cui titulus est, *Ludus Aestiualis,*

ualis. Cardinalis cauſſam ſuſcepit Paſchalis Agramont Valentinus Societatis Ieſu. Sed cum tempora eſſent difficilia; et argumentum alicuius nouitatis; petierunt Ieſuitae a Gregorio Maianſio vt Agramontii opus approbare vellet, atque editionis curam ſuſcipere. Neutrum recuſare voluit Maianſius vt bene de Cardinali mereretur. Iuſſu igitur Regii Caſtellae Sanatus lepidiſſime Cenſoris munere functus eſt III. Cal. Februarias anni 1732. et edi poſſe cenſuit *Allegationem Theologicam Phyſico-polemicam pro vnione Eucharistica aſſerta ab Eminentiſſimo Aluaro Cardinali Cienfuegos Hiſpano Soc. Ieſu, auctore Aſcanio Perea Viegas et Hontemar* (ſic enim ſe Agramontius appellauit) eodemque anno Valentiae prodiit memoratum opuſculum. Illud Gregorii Maianſii officium mirum in modum placuit Cardinali Centigneo, qui honorificentiſſimis literis gratum erga eum animum oſtendit. Cum autem Maianſius tali obſequio contentus non eſſet; Cardinalem magis magisque ſibi obſtringere voluit; eique dedicauit Poëticum opuſculum ita inſcriptum.

Chocolata, ſiue, in laudem Potionis Indicae, quam appellant Chocolate, *Elegia auctore Georgio Raminaſio, Patrico Athenienſi. Coloniae Viriathicae apud Euangelum Thraſybulum. Anno 1733.* octuplicata charta (id eſt, *auctore Gregorio Maianſio, Patricio Oliuenſi*) *Valentiae apud Antonium Bordazar.* In hac *Elegia* ipſa potione Indica dulciore oſtendere voluit Maianſius quam facile ſibi eſſet, ſi vellet, ad fabulas et Ethnicorum deliramenta alludere: quod ipſe in ſcriptis ſuis ſemper, quan-

quantum potuit, vitare ſtuduit. Ideoque in eis minime leguntur quae de natura, fato, fortuna, aliisqua ſimilibus inanitatibus Ethnicis paſſim in eruditiſſimorum hominum libris occurrere ſolent.

81. Inter egregios amicos, quos Gregorius Maianſius habuit, fuit cl. vir Ioſephus Bermudezius, Regii Caſtellae Senatus Conſiliarius. Vt igitur ſuam erga eum beneuolentiam oſtenderet; XVII. Cal. Auguſtas anni 1732. dicauit illi hunc libellum.

Cartas de Don Nicolas Antonio, de Don Antonio de Solis, i de Don Chriſto val Creſpi do Valdaura, con una breve noticia de las Vidas de los dos primeros autores: i la Oracion que exhorta a ſeguir la verdadera idea de la Eloquencia Eſpañola. En Leon de Francia por los Hermanos Deville, i Luis Chalmette, anno 1733. charta octuplicata.

82. Nicolai Antonii *Vita* poſtea latius et eruditius edita fuit Valentiae ab eodem auctore, et praemiſſa *Cenſurae Hiſtoriarum fabuloſarum* anno 1742. Antonii Soliſii *Vita* ſcripta fuit ſtilo florido, hodierno Hiſpanorum guſtui accommodato. Nicolai Antonii Epiſtolae, prelo repetitae, et auctae fuerunt Madridii, anno 1734. in Collectione *Epiſtolarum Moralium, Militarium, Ciuilium, et Literariarum.* Atque auctiores poſtea prodierunt Valentiae anno 1742. in fine *Cenſurae Hiſtoriarum Fabuloſarum.* Antonii Soliſii Epiſtolarum autographa nactus eſt poſtea Gregorius Maianſius, et ſecundum ea tertiam editionem correctiorem facere cogitat.

 83. In-

83. Inualuerat inter Oratores Ecclesiasticos praua quaedam consuetudo, vt plurimi eorum se ipsos potius, quam Christum praedicarent. Iccirco Benedictus XIII. edixit, vt saltem in prima Orationis parte Christianam doctrinam explicarent: in quo fortasse allusit ad Italum concionandi modum, qui Orationem solent diuidere in duas partes, quarum prima est maior. Ex eo tempore permulti Concionatores Pontificis Romani mentem non assequentes, occasionem arripuerunt duas Orationes conficiendi; in quarum altera articulum aliquem Christianae doctrinae proponerent, breuiterque explicarent more scholastico: in altera, prout antea solebant, concionarentur. Quem abusum videns Gregorius Maiansius; calamum arripuit; ostenditque, Pontificis Romani mentem esse vt Orationes essent omnino Christianae, non solum in prima, sed multo magis in secunda parte, quae prioris esse debet veluti collectio. Aut enim, inquit, agitur de Fidei Mysteriis credendis; aut de moribus recte instituendis; aut de Sanctorum memoria recolenda. Si agitur (inquit) de Fidei Mysteriis credendis; primo debent explicari, et postea animi excitandi sunt ad Fidem Diuinam cum Dei auxilio amplectendam. Si de moribus recte instituendis tractatur; aut virtutis praestantia primum proponitur, et deinde ad eam excercendam auditorum animi permouentur; aut vitiositatis deformitas inculcatur, et eius odium infunditur. Denique, si de Sanctorum memoria recolenda agitur, celebrari debent virtutes, quibus Deo fuerunt gratiosi; et ad Beatorum

torum imitationem animi excitandi ſunt. Qua ratione vero haec fiant, praeclare oſtendit Maianſius edito libro ſic inſcripto.

El Orador Chriſtiano ideado en tres Dialogos. En Valencia por Antonio Bordazar, anno 1737. octuplicata charta.

84. In primo *Dialogo* propoſuit auctor perfecti Oratoris ideam: in ſecundo, et tertio, Artis Oratoriae omnia praecepta tradidit perſpicue, et eleganter.

85. Forte accidit vt inter *Dialogos* ſcribendos Gregorius Maianſius colloqueretur cum amico ſuo Hieronymo Iuliano Societatis Ieſu, viro facundo, et Antonii Vieirae ita ſtudioſo, vt memoriae mandare eius Orationes, et easdem ad verbum recitare ſoleret magno auditorum plauſu. Is igitur cum interrogaſſet Maianſium, ecquod Orationis perfectae paradigma Hiſpanum proponeret! *Nullum* inquit Maianſius; *quia nullum inuenio. Serio loqueris?* Iulianus ait. *Apud Vieiram inuenies. Elige igitur Orationem*, Maianſius inquit. *Eam ipſam proponam.* Cumque Iulianus elegiſſet Vieiranam Orationem *de Ignatio Loiola*, Societatis Ieſu inſtitutore; falſa hypotheſi vſum fuiſſe Vieiram oſtendit Maianſius. Quod aegre tulit Iulianus: ideoque *Oratorem Chriſtianum* ex Ordinarii Eccleſiaſtici delegatione approbare noluit, vti promiſerat; eiusque exemplum ſecutus fuit Franciſcus Michaël eiusdem Societatis, et non ſine magna contentione opus illud approbauit Bartholomaeus Caſes, Monachus Trinitarius, fami-

geratiſſimus Concionator, qui poſteaquam fruſtra tentauerat vt Maianſius iudicium illud Vieiranae Orationis omitteret; in ipſa Cenſura declarauit, diſplicuiſſe ſibi Maianſii ſententiam: qui tamen repetita et confirmata opinione ſua de Antonii Vieirae concionandi ratione in ſuorum *Dialogorum* Dedicatione; eos obtulit Guilielmo Klarkio, Schotto, Societatis Ieſu, Philippo V. Hiſpaniarum Regi a conſcientia X Cal. Maius anni 1733. quae Dedicatio lectu eſt digniſſima ob praeſtantiam doctrinae ad Oratoriam Artem pertinentis.

86. Per ea tempora Iohannes V. Luſitaniae Rex literas in ſuo Regno propagari ſatagebat. Ideoque Gregorius Maianſius Epiſtolam prudentiae plenam ad eum miſit ſic inſcriptam.

A. Amnis (id eſt Maians) *Gratulatio ad Iohannem V. Luſitaniae Regem de Imperii eius felicitate. Coſinopoli apud Iohannem Beneuentanum* (hoc eſt, Valentiae apud Antonium Bordazar) *anno 1734.* charta ſedecies plicata.

87. Eadem Epiſtola recuſa fuit *Coloniae Viriathicae apud Tacitum Gaudentium* (id eſt Valentiae apud Antonium Bordazar) *anno 1740.* charta etiam ſedecies plicata.

88. Hac Epiſtola lecta, dixit Rex Luſitaniae celeberrimo Comiti Ericeirae Franciſco Xauerio de Meneſſes, *Gregorium Maianſium eſſe Ciceronem Hiſpaniae*; et reuera Maianſius in ea *Epiſtola*, quae regendi Artem continet, Ciceroniano ſtilo vſus eſt.

89. Iu-

89. Iuris Ciuilis Praeposituram, vti supra dictum est, petierat Gregorius Maiansius anno 1730. Et cum ab Vrbe Valentia, Gymnasii Patrona, repulsam pertulisset indignam; ex eo tempore constituit Academicae vitae vale dicere, cum animo instituendi studia sua alia ratione, per quam minus occupatus, literis intentior, et cum maiori fructu vacare posset. Sed propositum hoc exsecutioni mandare noluit, antequam a Patre suo comprobaretur: qui existimans filium suum repulsae indignatione permotum, elabente tempore consilium mutaturum; moras coepit nectere. Verum tandem a Patre suo secedendi venia obtenta; cum serio cogitaret de relinquenda Vrbe Valentia, Cardinalis Aluarus Centigneus memor obsequii Maiansiani, effecit vt Franciscus Retsius Societatis Iesu Praepositus Generalis Guilielmo Klarkio Hispaniarum Regi a Conscientia scriberet, Gregorium Maiansium mirum in modum commendans. Klarkius Iosepho Octauio Bustanzio Reipublicae Genuensis Legati vicario Madridii degenti, et Maiansii peramico mandauit, vt ei significaret, *ecquod munus vellet!* *Literarium* inquit Maiansius. Quo responso intellecto Guilielmus Klarkius, Regiae Bibliothecae Director cum plenissima facultate, nominauit eum Bibliothecarium Regium literis datis pridie Nonas Octobreis anni 1733. adiecta promissione, se post paucos menses effecturum vt Regis Secretarius nominaretur in Status publici officina ad literas Latinas scribendas. Munus, et oblatam conditionem accepit Maiansius, et comparatis omnibus rebus ad

transmigrationem necessariis in Regiam Vrbem perrexit mense Octobri.

90. Statim Maiansius cogitare coepit, qua ratione Regis, et Reginae animos sibi propitios faceret. Videns igitur praeclaram indolem Regii Infantis Philippi, a quo perhumaniter tractabatur; Cal. Martiis anni 1734. dedicauit ei sequens opusculum complectens Christianae doctrinae breuiarium eius aetati accommodatum.

Espeio Moral con Reflexiones Christianas. En Madrid por Antonio Sans, anno 1734. charta duodecies plicata.

91. Huius libelli Dedicatio recusa est inter *Epistolas Morales, Militares, Ciuiles, et Literarias.*

92. Cum Iosepho Rodrigo, Marchione Compositae, Regio vniuersalium negotiorum Secretario, frequentissime colloquebatur Maiansius de rebus literariis; et ab eo audiens Ioachimum Iosephum Vazquium, Iuris Ciuilis Professorem Complutensem suam doctrinam reprehendisse in *Otio Complutensi;* sperans se rem Marchioni gratam facturum, vtpote qui de rebus a Vazquio reprehensis repentino loquentem iucunde audierat; biduum impendit in responsione apologetica bene docta cui fecit titulum.

Gregorii Maiansii, Generosi Valentini, Hispaniarum Regi a Bibliotheca, et in Academia Valentina Iustinianei Codicis Antecessoris, Disputatio de Incertis legatis, Matriti, apud Ioannem Stunicam anno 1734. octuplicata charta. Quae *Disputatio* postea recusa est Hagae comitum anno 1752.

93. *Dispu-*

93. *Disputationem* ſuam obtulit Marchioni Compoſitae pridie Eidus Septembreis memorati anni. In eius titulo animaduertendum eſt, appellari auctorem, Iuſtinianei Codicis Anteceſſorem. Nimirum Vrbs Valentia, quae Iuris Praepoſituram ei negauerat, ſtatim ac Regius Bibliothecarius electus fuit cum ſpe maxima aliorum munerum obtinendorum, voluit Maianſium retinere Anteceſſoris honorem, et honorarium triginta ſeptem librarum monetae Valentinae, quas ille in vnius libri emtione nunquam dubitauit inſumere: vt vel inde lectores agnoſcant quantam pecuniae vim vir magnus impenderit in ſtudiorum ſuorum curriculo absque iuſto praemio. Ioſepho Ioachimo Vazquio cauſſam ſuam tueri placuit; ſed ei reſpondere noluit Maianſius, ne contentionis ſerram reciprocare videretur.

94. *Epiſtolarum* Hiſpanarum clariſſimorum virorum Nicolai Antonii, Antonii Soliſii, et Chriſtophori Creſpi de Valdaura, editio Lugdunenſis grata fuit quamplurimis. Ideo Gregorius Maianſius eam auxit, euulgauitque ſuam Collectionem hoc titulo.

Cartas Morales, Militares, Ciuiles, i Literarias de varios autores Eſpañoles recogidas, i publicadas por Don Gregorio Mayans i Siſcar. En Madrid por Iuan de Zuñiga, anno 1734. charta octuplicata.

95. In harum *Epiſtolarum* electione Gregorius Maianſius partim accommodauit ſe lectorum communi captui; partim eruditorum guſtui: et

praeterea dicitur habuiſſe animum colligendi plurimas epiſtolas a ſe ſcriptas, ſed vulgatas alienis nominibus. Quaenam autem hae ſint, ſubodorabunt critici periti illius linguae.

96. In harum *Epiſtolarum* Dedicatione data V. Cal. Septembreis memorati anni 1734. ſatis ſuperque declarauit auctor celeberrimo viro Ioſepho Patinio, cuius auctoritas eo tempore ſumma erat in Hiſpania, quid ipſe in literis praeſtare poſſet. Eodem tempore Maianſius *Dedicationem* ſuam ſeorſim edidit hoc titulo. *Cogitationes literariae*, quas ipſe protulit, vt de ſe, deque ſuis ſtudiis ſtatueretur, quod videretur magis conuenire Reipublicae literariae vtilitati, cui ille conqueritur ſe parum ſeruiiſſe, inuidia ſibi ſemper infenſa, et praeualente. Ibi memorat auctor a ſe deſiderata: meminitque etiam aliquorum operum ſuorum, quae iam illo tempore partim elaborata, partim erant affecta, vt Ioſephus Patinius publici juris fieri iuberet quaecumque vellet. Ea vero ſunt haec.

Alphabetum Hiſpanum, ſiue Orthographia Hiſpana.

Aduerſaria pertinentia ad Grammaticam Hiſpanam.

Rhetorica Hiſpana.

Aduerſaria ad Dialecticam ſpectantia.

Facilis *Inſtitutio Puerorum*, ex qua ipſe auctor aliqua delibauit in illis ipſis *Cogitationibus literariis.*

Inſtitutionas linguae Latinae.

Aduerſaria pertinentia ad diſcendam Grammaticam Latinam Hiſpana lingua.

Iuris-

Iurisconsultus, siue, idea Iurisconsulti.

Centum Disputationes iuris.

Triginta Iurisconsulti, commentariis illustrati.

Iurisconsultorum Vitae plusquam centum.

Epistolae Iuridicae.

Praelectiones Iuris Extemporales plusquam quadraginta.

Disputationes publice tractatae, hoc est, Argumentationes publicae.

Vita Sancti Iohannis Baptistae, Hispane scripta.

Aduersaria ad illustrandam Didaci Saauedrae Rempublicam Literariam.

Aduersaria ad scribendum Dictionarium Hispanum.

Vno verbo, Maiansius opes suas literarias obtulit, quae si viris pecuniosis, aut publica auctoritate pollentibus gratae, et acceptae fuissent; vberiores sapientiae fructus edidisset.

97. Visum fuit Thomae Magdalenae, Monacho Dominicano, Paschalis Agramontii Apologiae pro Cardinali Centigneo respondere, et in suo scripso efutiit, Gregorium Maiansium fuisse *approbatorem intrusum*, cum verum sit, eum iussu Castellae Senatus, Censoris partes egisse. Ea de caussa Maiansius vt Magdalenae petulantiam castigaret, ludibunde scripsit opusculum, et in lucem publicam emisit hoc titulo.

Antimadalena, Dialogo entre Sofronio, i Sofobulo, su autor Vigilancio Cosmopolitano. En Madrid anno 1734. charta quadruplicata.

98. Forte contigit vt Beniaminus Keene, magnae Britanniae Regis ad Hiſpaniarum Legatus prudentiſſimus, et celeberrimus, animi gratia legeret Gregorii Maianſii *Epiſtolas* Latinas: cumque Emmanuelis Martini Decani Alonenſis dicendi puritatem, elegantiam, et natiuas veneres admiraretur; cupidus legendi omnes eiusdem viri Epiſtolas, ſignificauit Maianſio, vt vellet eas obtinere ab Emmanuele Martino vt publici iuris fierent, ſe ſumtus ſufficiente. Recepit Maianſius ſe id impetraturum: Oratoris Britannici liberalitatem Martino expoſuit: iſque grato animo Epiſtolarum volumen per Maianſium miſit data huic facultate, vt Epiſtolas quas vellet, demeret, et ſuas emendaret. Emmanuelis Martini *Vitam*, quam iam antea Maianſius Valentiae ſcripſerat, cum easdem illas Epiſtolas cogitabat mittere ad illuſtriſſimum virum Iohannem Theodericum Schombergium, obtulit Ioſepho Octauio Buſtanzio Reipublicae Genuenſis apud Regem Catholicum Miniſtro, cui arctiſſimis beneuolentiae, et beneficientiae vinculis adſtrictus erat, quique Decanum Alonenſem impenſe amabat. Ita factum fuit vt vtrumque opus in lucem prodiret hoc titulo.

Emmanuelis Martini, Eccleſiae Alonenſis Decani Epiſtolarum libri duodecim, Mantuae Carpetanorum apud Iohannem Stunicam anno 1735. duobus voluminibus octuplicatae chartae, quibus tertium accedit hoc titulo: *Emmanuelis Martini Eccleſiae Alonenſis Decani Vita, ſcriptore Gregorio Maianſio, Generoſo, et Anteceſſore Valentino, Hiſpaniarum Regi a Bibliotheca. Mantuae Carpetanorum apud*

apud Ioannem Stunicam anno 1735. charta octuplicata.

99. Martinianas Epistolas nemo nisi Maiansius in Hispania ausus fuisset edere. Ipse tamen effecit vt duo Bibliothecarii Regii eas probarent, et maxime vt Blasius Antonius Nassarre, qui ob affectatum literarum imperium reliquos omnes nullo discrimine parui facere solebat, datam sibi a Maiansio Censuram, praecedente auctoritate Regii Castellae Senatus, subscriberet Eidibus Martiis memorati anni. Emmanulem Martinum Maiansius in Epistolis suis modestiae et obseruantiae caussa Praeceptorem suum vocauit, quamuis eius faciem nunquam viderit. Martini Epistolae gratissimae fuerunt eruditis viris ob Latinitatem purissimam, et aurei saeculi elegantiam. Eiusdem *Vita* a Maiansio scripta magna ex parte contexta est ex illius aliorumque Epistolis, intermixtis quamplurimis notitiis literariis, stilo vbique Latino, dulcique. Ideoque vtrumque opus recusum fuit Amstelaedami apud Wetstenium et G. Smith, anno 1738. duobus voluminibus chartae quadruplicatae, adiuncta *Oratione pro Crepitu Ventris* habita ab Emmanuele Martino in Arcadum Academia, quam Orationem anno praecedenti Maiansius ediderat Madridii rogatu illustrissimi viri Beniamini Keene, hoc lepido titulo praemisso.

Oratio pro Crepitu Ventris habita ad Patres Crepitantes (id est, ad Academicos Arcades) *ab E. M. D. A.* (hoc est, ab Emmanuele Martino Decano Alonensi) *Regio-Brigae* (id est Madridii) *ex*

ex Officina Acthonis (hoc est Iohannis Stunicae cum allusione ad Martialis *Epigramma 78. libri XII.*) *anno 1739.* charta octuplicata.

100. Desiderabantur exemplaria ingeniosissimae *Reipublicae Literariae* Didaci Saauedrae; et Gregorius Maiansius in fine anni 1735. effecit vt ea Madridii recuderentur octuplicata charta apud Iohannem Stunicam, praemissa docta Praefatione, et Librario opus dedicante excellentissimo viro Beniamino Keene, Regis magnae Britanniae ad Hispaniarum Legato. Huic editioni, quae omnibus emendatior est, praecedit eiusdem Maiansii *Oratio* posterioribus curis etiam recognita, qua Didacus Saauedra laudatur.

101. Cum Asidonensis Ducissa, Iosepha Paccieca, excellentis Iudicii, et mirificae eloquentiae mulier maxime optaret vt Gregorius Maiansius cum Petro Guzmanno filio suo, tunc Iliplae Comite, et praeclarae spei adolescente, nunc Asidonensi Duce, crebros sereret sermones, quibus ei instillaret sapientiae amorem; Maiansius frequentissime Ducissam illam inuisebat vt illustrissimum adolescentem ad bonam frugem informaret; et obsequii gratia dedicauit Ducissae hoc opusculum.

Oracion a Christo, Redentor nuestro en su inefable Passion. En Regiobriga (hoc est Madridii) *anno 1736.* charta sedecies complicata. Quae *Oratio* Iesu Christi Passionem continens, vna cum eius meditatione ibidem recusa est in *Exercitationibus Oratoriis*, *anno 1739.*

102. In-

102. Inter Curiam Romanam et Madridiensem grauissimae fuerunt controuersiae anno 1736. Hispaniarum Rex Philippus V. nonnullos viros elegit, qui de suis regiis iuribus inquirerent, et ad se ferrent. Iis praeerat frater Caspar de Molina, Episcopus Malacitanus, et Regii Castellae Senatus Gubernator, Cardinalatus candidatus, qui cum resciuisset Gregorium Maiansium habere celeberrimum illud *Consilium* quod Philippo II. Hispaniarum Regi dederat Melchior Canus anno 1555. petiuit a Maiansio per Blasium Antonium Nassarre, vt vellet secum *Consilium* illud communicare. Vir liberalissimus respondit, *velletne illud manu exaratum, an typis excusum!* Cumque Molina dixisset, *quomodocumque ei liberet:* statuit Maiansius Antonio Marino typographo illud tradere ne opportuna elaberetur occasio tanti operis edendi. Admonitus autem Episcopus Malacitanus, Melchiorem Canum ibi locutum fuisse de personali Episcoporum Residentia, et de Bullae Cruciatae concessione sub certis conditionibus, cuius ipse erat Commissarius Generalis; et praeterea *Consilium* illud nimis acerbum futurum Curiae Romanae; iussit vt sex tantum exemplaria imprimerentur; reliqua vero, quae formis typographicis iam expressa fuerant in vna parte; in altera non excuderentur, donec ipse aliud iuberet. Iussit autem postea vt vna cum manuscripto codice a Gregorio Maiansio sibi donato omnia exemplaria, licet solum essent excusa in vna chartae parte, ad se perferrentur; et vt characterum paginae iam compositae, parataeque ad alteras paginas excudendas, in suas capsulas distribuerentur, ne vlla

praeter

praeter praedicta ſex exemplaria ad ſe allata ſuper-eſſent. Ita effecit frater Caſpar Molina vt Melchioris Cani *Conſilium*, in ſui gratiam et vſum editum, in aliorum ineditum videretur; editum in Regiae Curiae obſequium a ſe factum, et in Romanae terrorem tanquam ab alio intentatum; ineditum in eiusdem Romanae Curiae gratiam, vtpote in ipſo partu a ſe ſuffocatum. Scripſit ei Maianſius, vt aut manuſcriptum ſuum ſibi reſtitueret; aut aliquod excuſum exemplar ad ſe mitteret. Et cum ille minime reſpondiſſet; excogitauit rationem qua ſi non prelo, manu tamen impreſſum exemplar obtineret. Officinam typographicam adiit, iacentes humi paginas manu impreſſas, quas typographus abiecerat poſt errata emendata collegit, et coniunxit; atque hoc modo integrum Melchioris Cani *Conſilium* manu impreſſum, et a ſe emendatum obtinuit inſcio Molina, qui non multo poſt Cardinalis renunciatus fuit.

103. Exiſtimat Gregorius Maianſius, Philoſophiam duobus modis tractari debere: populariter ſcilicet ad eorum captum, qui extra ſcholam viuunt, vtilibusque legendis animum ſuum informare debent ad res melius cognoſcendas tractandasque, vitaeque officia perfectius obeunda; et ſcienter, ſubtiliusque, prout fieri debet in Scholis. Priorem illam ſcribendi rationem eligere voluit Iohannes Baptiſta Berni, doctor Theologus, et Philoſophiae magiſter in Academia Valentina: atque in publicam lucem emiſit *Philoſophiam Rationalem*, *Naturalem*, *Metaphyſicam*, et *Moralem*, Hiſpana lingua ſcriptam, eamque Gregorio Maianſio

ſua-

ſuadente dicauit illuſtriſſimo adoleſcenti Petro Perez de Guzman, Comiti Ilipſae: eandemque Maianſius, vt Iohannem Baptiſtam Berni ad maiora excitaret, ſatis liberaliter laudauit erudita et eleganti Cenſura, quam iuſſu Regii Caſtellae Senatus Madridii dedit, III. Cal. Ianuar. anni 1736.

104. Cupiens Antonius Bordazar de Artazu in officina ſua excudere libellum a ſe elucubratum, cui titulum fecit, *Proporcion de Monedas, Peſos, i Medidas, con Principios practicos de Arithmetica, i Geometria, para ſu uſo*; cumque Regius ſupremusque Caſtellae Senatus Gregorio Maianſio iuſſiſſet vt de illo libro ſententiam diceret; III. Cal. Octobreis anni 1736. ipſe eam pronunciauit Antonio Bordazari perquam fauorabilem.

105. Emmanuel Martinez Pingarron, vir eximiae probitatis, recti iudicii, iuxtaque modeſtiſſimus, Gregorio Maianſio ſuadente e Gallica lingua in Hiſpanam conuertendos ſuſcepit Claudii Fleury perdoctos libellos *De Moribus Iſraelitarum, et priſcorum Chriſtianorum*, eosque feliciter tranſtulit. Vtriusque operis ideam perbellam exhibuit Maianſius interprete laudato, vt par erat, ex delegatione Regii Caſtellae Senatus; deditque illam Cenſoriam Epiſtolam Nonis Martiis, anni 1737.

106. Conqueri ſolet Gregorius Maianſius, Linguam Hiſpanam, quae caeteris Europaeis abundantior eſt, in dies fieri pauperiorem ob operum tam editorum, quam ineditorum neglectum. Ideoque vtriusque generis ſcripta, quantum poteſt, ab obliuione vindicare curat, idque nominatim praeſtitit in editione *Dialogi Linguae Hiſpanae*, cuius auctor

auctor ignoratur. Sed quicumque ille fuerit, lectu est dignissimus. Nam praeterquam quod est perurbane scriptus, quamplurima docet, quae solummodo apud eum leguntur. Huic *Dialogo* praemisit Maiansius *Praefationem* bene longam, in qua eruditissime disputauit *de Originibus Hispanae linguae;* eiusdem linguae canones etymologicos confecit adiunctis exemplis; et de illius linguae praestantia optime tractauit. Hos duos libellos obtulit Gregorius Maiansius Blasio Antonio Nassarre, Bibliothecae Regiae Praefecto, et collegae suo: atque in lucem publicam emisit hoc titulo insignitos.

Origenes de la lengua Española compuestos por varios autores, recogidos por Don Gregorio Mayans i Siscar, Bibliothecario del Rei nuestro Señor. En Madrid por Iuan de Zuñiga, anno 1737. voluminibus duobus octuplicatae chartae.

107. In priore volumine egit Maiansius *de Originibus linguae Hispanae*, quibus subiunxit *Orationem qua hortatur ad sequendam veram ideam Eloquentiae Hispanae*, quam Orationem postremis curis emendauit.

108. In posteriori volumine continentur sequentia opuscula.

Anonymi *Dialogus de linguis.* Qui titulus latior est, quam apparet; auctoris enim disertissimi consilium fuit agere praecipue de lingua Castellana, in qua satis perite versatus erat.

Adagia collecta ab Enneco Lopez de Mendoza iussu Castellae Regis Iohannis II. ordine alphabetico disposita.

Origo

Origo et applicatio adagii Hispani, Entrale por la manga, i sacale por el cabezon: o, Metedlo por la boca manga, i salir se osha por el cabezon, *aucto-re Iohanne Luca Cortesio*, Carolo II. a consiliis in Regio Castellae Senatu: quae Epistola eruditissima est, et tanto auctore digna.

Vocabula Gotthica, quae habet lingua Hispana, collecta a Bernardo Aldrete, Canonico Ecclesiae Cordubensis.

Vocabula Arabica, quae extant in lingua Hispana, collecta ab eodem Aldrete.

Compendium aliquorum vocabulorum Arabicorum, quae introducta sunt in Linguam Castellanam, collectorum a Francisco Lopez Tammarid, Portionario Ecclesiae Granatensis.

Vocabula quae Bernardus Aldrete excerpsit ex Foro Iudicum, Partitis, Historia Regis Alfonsi, et ex Infante Emmanuele.

Vocabularium Germanitatis compositum a Iohanne Hidalgo.

Excerpta libri inscripti, Gaya Sciencia nobilis Henrici Villenensis ad Didacum Lopez de Mendoza, Dominum Hitae.

109. Porro Blasius Nassarre, etiamsi Gregorii Maiansii Praefationem, vt aequum erat, laudauerat; tamen, quia noluit societatem inire cum triumuiris illis, quos Diariistas vocant; iussit eos aduersus Maiansii Praefationem scribere; et calumniosam insolentemque inuectiuam suis sumtibus excudi voluit. Eorum vero audaciam Maiansius praesenti animo repressit edito libello sic inscripto.

 Con-

Conuerſacion ſobre el Diario de los literatos de Eſpaña. La publico Don Placido Veranio. En Madrid por Iuan de Zuñiga anno 1737. charta octuplicata.

110. In hac Apologia grauiter et erudite ſcripta, deſignari dicuntur Blaſius Antonius Naſſarre, aliique Maianſii obtrectatores, pulcherrima illa Apellis tabulae deſcriptione, vbi Calumnia ad viuum expreſſa fuit.

111. Emmanuelis Martini mors, quae Alicantii contigit XI. Cal. Maias anni 1737. magnum attulit moerorem Gregorio Maianſio, qui eum licet de facie ſibi ignotum, vt magiſtrum ſemper veneratus eſt, eiusdemque famam, quantum potuit, amplificauit, ſignificauitque dolorem ſuum duabus ſcriptis Epiſtolis, altera Hiſpana lingua Madridii data III. Nonas Maias memorati anni 1737. in folio ad Cl. virum Franciſcum Almeidam, Eccleſiae Patriarchalis Oliſiponenſis Canonicum, qui eam Oliſipone excudi iuſſit: altera Latine ſcripta, Madridii eodem die data ad Iohannem Baſilium Caſteluinium, Ceruellionis Comitem, Emmanuelis Martini peramicum, quae edita fuit a Marchione Polenio, anno 1740. in *Supplemento Theſauri Antiquitatum Graecarum Romanarumque.*

112. Regina Angliae ad animi ſui oblectationem, fabuloſorum librorum Bibliothecam inſtruxit. Oſtendit eam Domino Carteret, Comitati Magnae Villae, qui obſequii cauſſa Reginae ſignificauit, deeſſe ibi ingenioſiſſimum et lepidiſſimum opus; ſe vero collocaturum illud in ea ſelectiſſima Biblio-

theca

theca. Domum itaque reuersus, ad se iussit venire Typographos Tomsones, Medicum suum Iohannem Oldfieldum, et sculptores peritissimos. Typographis iniunxit vt Quixoti de la Mancha *Vitam* a Michaële de Ceruantes Saauedra ingeniosissime scriptam, secundum primam editionem fideliter, magnifice, et eleganter repraesentarent: Doctori Oldfieldo Laminarum incidendarum ideas commisit: aeris incissoribus accuratam earum incissionem mandauit. Praeterea Beniamino Keene, magnae Britanniae Regis apud Hispaniarum Oratorem, significauit vt exploraret, an Gregorius Maiansius scribere vellet Michaëlis Ceruantii Vitam. Quod statim ac Maiansius audiuit, libenti et alacri animo recepit, se id praestiturum: et perbreui tempore iudiciosam et allegoricam Oldfieldi *Praefationem* a Beniamino Keene ex Anglica in Hispanam linguam translatam, ipse stilo Ceruantii, seruata literali versione, accommodauit: et eiusdem *Vitam* scripsit, in qua de libris fabulosis erudite egit, et Ceruantii opera omnia mirifice descripsit permixta notitiarum Historiae literariae magna copia: *Vitamque* illam, vt a typographis Londinensibus melius legi posset, iussit excudi Brigae Regiae (id est, Madridii) anno 1738. apud Iohannem Zuñigam octuplicata charta: et praemissa graui atque eleganti epistola, dicauit eam Comiti Magnae Villae, a quo literas accepit humanissimas et honorificentissimas. Prodiit in lucem magnificum illud opus hoc titulo.

Vida i Hechos del ingenioso Hidalgo Don Quijote de la Mancha compuesta por Miguel de Cervan-

tes Saavedra en quatro tomos. En Londres: Por J. i R. Tonſon 1738. Quatuor volumina ſunt quadruplicatae chartae magnae formae. Ceruantii *Vita* primo tomo praepoſita fuit, et poſtea recuſa eſt Hagae Comitum anno 1744. Madridii apud Iohannem de San Martin anno 1750. charta quadruplicata, Et apud Ioſephum Alfonſum et Padillam anno 1751. charta octuplicata, et in hac editione Ceruantii *Vitae* praemiſit librarius operum editorum Gregorii Maianſii Catalogum, quae in notitiam eius peruenerunt. Praeterea *Ceruantii Vita* in Gallicam linguam translata fuit *par le Sieur D. S. L.* et Amſtelaedami edita apud Franciſcum Changuion anno 1740. charta duodecies plicata. Ipſe auctor ad me ſcripſit, ſe multum auxiſſe eandem *Vitam.*

113. Studioſa Legum iuuentus Hiſpana auidiſſime expetebat Bartholomaei Cheſii *Interpretationes Iuris*: et quanquam Gregorius Maianſius optabat vt potius recuderentur Ioſephi Reteſii opera adiectis eiusdem auctoris ineditis, Ioſepho Fineſtreſio, Iurisconſulto eruditiſſimo hoc conſilium approbante, et contendente vt efficeretur; tamen aliter viſum fuit iis, quorum auctoritas praeualebat in expendenda pecunia Academiae Ceruarienſis, quae ſumtus ſufficere debebat. Itaque praelatae fuerunt *Interpretationes Cheſianae*, cuius editionem accurauit Fineſtreſius, et Madridii frigide laudauit Maianſius ex delegatione ſupremi Caſtellae Senatus pridie Nonas Octobreis anni 1737.

114. Ioſephus Berni, Iurisconſultus Valentinus, et Cauſſarum Patronus, in animum induxit ſcribe-

ſcribere de praecipuis rebus, quas diſcere debent Tirones, qui Iurisprudentiae Pragmaticae ſe dedunt. Iccirco edidit quamplurima opuſcula, curauitque vt eius magiſter Gregorius Maianſius ſui ingenii partus fere omnes ſuſciperet, probaretque publice: quod a praeceptore ſuo, viro humaniſſimo, facile obtinuit. Quare cum ſcripſiſſet librum, cui titulum fecerat, *El Abogado inſtruido en la Practica Civil de Eſpaña;* ſui magiſtri arbitrio permiſit vt operis ſui Patronum eligeret, atque vt ipſe vellet eſſe Cenſor. Morem ei geſſit Maianſius, cui viſum eſt vt libellus dedicaretur Cl. viro Emmanueli Franciſco Rodriguez de Caſtro, Eccleſiae Compoſtellanae Decano, peramico ſuo: et ipſe Maianſius opuſculum illud probauit iuſſu Regii Caſtellae Senatus XV. Cal. Martias anni 1738.

115. Ediderat Gregorius Maianſius Orationes aliquas, videlicet *De Virginis Maria Dei Matris Conceptu: De Ieſu Chriſti Natali: De ejusdem ineffabili Paſſione: De Didaci Saauedrae laudibus:* et *Exhortationem ad comparandam veram ideam Hiſpanae Eloquentiae:* cumque nonnulli eius amici eas legere cuperent, et exemplaria deficerent; Orationes illas a ſe recognitas prelo iuſſit committi, modeſte eas ſic inſcribens.

Enſayos Oratorios de Don Gregorio Mayans i Siſcar, Bibliothecario Real. Va añadida la Oracion de Dion Chriſoſtomo intitulada, ΠΕΡΙ ΑΝΑΧΩΡΗΣΕΟΣ, *eto es, Del Retiramiento: traducida de Griego en Eſpañol por Pedro de Valencia, Chroniſta del ſeñor Don Felipe III. En Madrid por Juan de Zuñiga, anno 1733.* charta octuplicata.

116. Hic eſt Petrus ille Valentia, Benedicti Ariae Montani diſcipulus, tanto magiſtro dignus, cuius interpretatio fidelis illa quidem et propria eſt; ſed Hiſpanae linguae periti aiunt, verborum collocationem aliquando eſſe perturbatam aduerſus indolem illius linguae: quod ex eo prouenit, quod Petrus Valentia illo tempore magis verſabatur in Graecis Latinisque ſcriptoribus, quam Hiſpanis.

117. Non ita contigit in translatione *Dictati Chriſtiani* Benedicti Ariae Montani, quam edidit ipſe Maianſius, cuius eſſe dicuntur *Dedicatio*, *Cenſurae*, et *Praefatio*, in quibus mirifice laudatur verſio illa, in cuius laudem nihil maius dici poteſt, quam eius auctorem Petrum Valentiam octies diuerſis modis tranſtuliſſe frontiſpicium ſemper feliciter: adeo difficilis erat eius interpretatio, et adeo felix eius interpres. Prodiit in lucem illud opus hoc titulo.

Leccion Chriſtiana: o Tratado de lo que los Dicipulos de Chriſto comunmente deven ſaber, i cada uno de ſu parte guardar: colegido, i brevemente recopilado de la dotrina, i Reglas del Maeſtro por el condicipulo Benito Arias Montano, para inſtruccion de la pequena Grei. Traducido de Latin en Eſpañol por Pedro de Valencia, Chroniſta del ſeñor Rei Don Felipe III. Porſiad a entrar por la puerta angoſta, Matth. VII. 13. En Madrid por Juan de Zuñiga, anno 1739. charta octuplicata.

118. Ioſephus Fineſtres de Monſalvo, Iurisconſultus Barcinonenſis, et Academiae Ceruarienſis Anteceſſor eruditiſſimus, qui ſuis ſcriptis inclareſcere

rescere poterat, a Gregorio Maiansio petiit vt ad se mitteret edendum *Johannis Altamirani et Velazquez Lusitani, et Juris Pontificii in Academia Salmanticensi olim Primarii Professoris, in priores tredecim libros ex viginti Quæstionum Q. Cervidii Scaevolae Commentarium* manu exaratum: et Maiansius eius voluntati se facilem praebuit, mittens opus illud ingeniosum, et doctum, cuius exemplar transcriptorum culpa deprauatum feliciter emendauit Iosephus Finestres, ipsumque iussu Regii Castellae Senatus probauit Gregorius Maiansius Madridii XVII. Cal. Augusti, anno 1739. Prodiit opus illud Ceruariae typis Academicis excusum ab Emmanuele Ibarra charta quadruplicata; et postea ab eximio Iurisconsulto Gerardo Meerman, Syndico Roterodamensi insertum est, noua accessione missa a Gregorio Maiansio, *tomo secundo Noui Thesauri Iuris Ciuilis et Canonici*, *anno 1751.*

119. Interea Gregorius Maiansius in Regia Bibliotheca, aut semper aliquid legebat, aut (quod frequentius et pertinacius factitabat) manu sua describebat magnorum virorum opera, et praecipue Nicolai Antonii, quae cogitabat edere. Sed cum Bibliothecarii honorarium solum esset quingentarum argenti vnciarum signatae monetae: et Secretarii Regii munus sibi promissum in suspenso esset, ne Iosephus de Montalegre, Marchio Salensis, qui munus illud obtinuerat, et Caroli Regis Siciliarum primarius erat Secretarius, illo stipendio priuaretur; Maiansius, qui spes suas nimis protrahi videbat, quique rem familiarem consumebat; coactus fuit a Rege petere veniam adeundi Patriam vt res

ſuas domeſticas ordinaret. Facile obtinuit viaticum ſex menſium; et Oliuam repedauit cum omni libraria ſupellectile, domumque ſuam peruenit pridie Nonas Auguſtas anni 1739. Cumque tempus illud finiretur, petiit veniam permanendi in patria ſex alios menſes: et ei etiam conceſſa fuit. Interea id agebat vt ſubſtitutum acciperet Emmanuelem Martinezium, virum probiſſimum, et ob elegantes aliquas Claudii Floridi verſiones Reipublicae literariae notum. Quo negotio feliciter confecto, poſt quindecim menſes, quibus a Madridio aberat, Bibliothecarii munere ſe abdicauit, ſpontaneam abdicationem Rege ipſo probante, literis per Guilielmum Klarke datis VIII. Eidus Septembreis anni 1740. quibus Rex confirmauit, *Gregorium Maianſium optime ſe geſiſſe in Bibliothecarii munere; ſeque ei poteſtatem facere ſecedendi in Patriam ſuam, vt liberius et commodius ibi poſſet ſcribere.*

120. Igitur cum in domo paterna Gregorius Maianſius decreuiſſet viuere auito contentus patrimonio (ſiquidem experientia edoctus meliora ſperare non auderet) decreuit tandem vxorem ducere ante multos annos animo ſuo deſtinatam Margaritam Paſchalem Iacobi Paſchalis Generoſi, et Eugeniae Maianſiae, amitae ſuae, etiam Generoſae, filiam, virginem egregiae indolis, bene moratam, et ſatis dotatam; et ob hanc rationem impetrata venia a Pontifice Romano, mille argenti vncias elargitus fuit fabricae templi Sancti Petri: qua venia obtenta illam vxorem duxit pridie Cal. Martias anni 1740. Ex ea ad hunc diem octo liberos ſuſcepit,

pit, sex superstites, videlicet, tres mares, Michaelem, Iosephum, et Franciscum, totidemque feminas, Mariam Gregoriam, Theresiam, et Iosepham, quibus addendi Iohannes, et Gregorius, qui in ipso ineuntis vitae exordio post susceptum sacrum lauacrum immortalitatis viam ingressi sunt.

121. Nouum vitae genus Maiansius iniens, non iccirco literis vacare desiit. Nam maiorum suorum morem secutus, fundos suos ad certum tempus locat, et locationum tempore finito eas renouat. Res domesticas eius vxor curat; ipse viriles, et literarias, et vt familia sua honestissime viuat.

122. Et quoniam ibi degit, vbi literarium auxilium a nemine potest petere; Bibliothecam selectissimam summa diligentia per multos annos collectam non solum conseruat; sed quantum potest, absentium amicorum opera vtens, adauget. Maiorem autem diligentiam adhibet electioni, quam numero, qui quatuor mille voluminum, aut plurium esse dicitur: qui procul dubio multo maior esset, nisi quamplurimos libros dedisset amicis suis; multo plures permutasset cum melioribus, maxime cum essent apud eos qui illos vendere nolebant: et nisi magnam pecuniae vim in tot operibus excudendis insumsisset, nulla inde ad se vtilitate pecuniaria perueniente; vt studiorum impensae omittantur per tot annos factae.

123. Gregorii Maiansii secessus, etsi ibi degat, vbi neque sunt viri docti quibuscum cogitationes literarias communicare possit; nec Bibliothecae;

nec Typographia; nullum tamen impedimentum attulit propoſito ſuo propagandi res literarias, vt eius facta praeclariſſima abunde teſtantur.

124. Vrbs Valentina magnificentiſſime celebrare ſolet Seculares dies a reditu ſuo in Religionem Chriſtianam, qui contigit IV. Cal. Octobreis anni Incarnationis 1239. Feſta quinti ſeculi celebrauit ea Vrbs VII. Eidus Octobris anni Natalis Domini 1738. et ea deſcripſit cl. vir Ioſephus Ortinus et Maior, vir eo tempore inter equites Valentinos doctus, inter doctos eques. Eius Deſcriptioni decorandae quaeſitus eſt vir nobiliſſimus Ximenius Perez Zapata de Calatayud, Comes Rahalis, et Vicecomes Chelvae, qui vt muneri ſuo ſatisfaceret, opem literariam petiit a Gregorio Maianſio, cuius beneficio debuit diſertiſſime Cenſoris partes agere iuſſu Regii Caſtellae Senatus data epiſtola Valentiae VI. Cal. Martias anni 1740.

125. Cupiebat Antonius Bordazar vt viri nobiles occuparentur Valentiae in ſtudiis Mathematicis. Deerat vero qui magiſterium digne ſuſciperet: et non leuis erat difficultas in excitando animo Iohannis Baptiſtae Coracciani, viri Mathematicarum Scientiarum peritiſſimi; ſed qui procul ab hominum erat commercio, virtutis et ſtudii exercitationibus ſemper intentus. Eius tamen animum permouit Gregorius Maianſius vt nomen ſuum et auctoritatem daret Academiae Mathematicae Valentiae inſtitutae anno 1740. quo in lucem prodiit *Idea Academiae Mathematicae*, quam Antonius Bordazar elucubrauit, et Academia illa dicauit Hiſpaniarum Infanti Philippo Borbonio.

126.

126. Nihil eſt frequentius, quam mercatores librarios clarorum virorum animos ſibi velle conciliare librorum dedicationibus. Iccirco Franciſcus Emmanuel de Mena, cum officioſus videri vellet erga illuſtriſſimum virum Franciſcum Almeidam, Eccleſiae Patriarchalis Oliſiponenſis Canonicum; Barcinone excudi iuſſit Alfonſi Rodriguezii *Exercitium Perfectionis, et virtutum Chriſtianarum*, atque hunc librum dicauit laudato viro, Epiſtola dedicatoria a Maianſio ſibi miſſa, quam Franciſcus Mena ſubſcripſit Madridii VI. Cal. Nouembreis anni 1740.

127. Illuſtriſſimus vir Franciſcus Xavier de Meneſſes, Ericeirae Comes, cum Iohanne V. Luſitaniae Rege perſaepe ſolebat ſermones ſerere de literarum ſtudiis promouendis, et mentionem frequentiſſime faciebat Gregorii Maianſii, quae Regi erat gratiſſima: nam, vt alia omittantur, ſuo iuſſu emerat exiguiſſimo pretio centum aureorum cl. viri Emmanuelis Pantoiae Bibliothecam manuſcriptam exquiſitiſſimam, et inaeſtimabilem. Praeterea idem Maianſius vt Regis animum ſibi magis conciliaret, per Ericeirae Comitem ei donauit, tum opera ſua edita, tum aliqua manuſcripta vitulinae chartae nitidiſſimae, et plurimi facienda: videlicet Dauidis Pſalterium ſecundum vulgatam editionem ob varias lectiones vtiliſſimum cum ſuis Gloſſulis: Gratiani Decretum cum antiquis omnibus Gloſſis magnificentiſſime ſcriptum, aureis literis initialibus, maiuſculis artificioſiſſime ſcriptis, et plus quam octingentis picturis eximiae varietatis ornatum: praeterea Gregorii IX. Decretalium libros quinque ſimilis

ſimilis magnificentiae cum integris Gloſſis. Quae opera procul dubio ſcripta fuerunt ſtatim ac Decretalium libri compoſiti fuerunt in alicuius magni Principis gratiam; erant enim ſcripta ſumtuoſiſſime in charta maxima, et deerant ſextus et ſeptimus Decretalium libri. Donauit etiam Regi T. Liuii decem priores libros accuratiſſime ſcriptos anno qui praeceſſit Typographiae inuentionem. Cuius exemplaris ſcriptura elegantiſſima eſt, ea videlicet quam illius aetatis Typographi vt optimam ſui temporis elegerunt. Ideoque multi dubitabant, an libri illi Liuiani typis eſſent expreſſi. Denique donauit Regi Dantis Comoediam, et nonnulla ſcripta Arabica recens inuenta, adiuncta epiſtola ad Ericeirae Comitem Oliuae data XVII. Cal. Maias anni 1741. vbi egregie Rex laudabatur: cumque hic reſciuiſſet, Maianſium eſſe qui latuerat ſub nomine *A. Amnis*; ipſe Maianſius perſonam ſibi detraxit, et memoratae epiſtolae inſeruit hoc epigramma.

Ad
IOHANNEM V.
Luſitaniae Regem Perſonatus A. Amnis ſiue
MAIANS.

Lege Theatrali perſonam ponere debet
Is qui diſplicuit. Cur ego, ſi placui?
Immo ideo. Perſona tegat quos uſus in artem
Turpiter erudiit, quique pudore carent.
Ingenui non eſt ſcaenae exercerier arte.
Cum Tu laudaris. Fabula non agitur.

Rex

Rex humanissimus datam Epistolam ad Ericeirae Comitem libenter audiuit, modestissime de se, magnifice de Maiansio dixit, dona literaria accipere dignatus fuit, et suo nomine Gregorio Maiansio gratias agi iussit, dixitque *ex libris illis vberiores fructus percepturum Maiansium, si eos apud se retinuisset.* Iussit tamen vt Comes Ericeirae cum aliis peritissimis viris Gratiani Decretum conferret cum exemplaribus editis, vt variae lectiones obseruarentur.

128. Antonius Paschalis et Garcia, Generosus Valentinus, Gregorii Maiansii propinquus, nomen daturus equitum Fraternitati, quae a B. Virgine Maria, quam *Solitudinis* vocant, nomen habet; libellum supplicem offerre voluit, in quo Maiansius breuiter et dilucide exposuit eius Genealogiam: et vt lectores alliceret, nonnulla sparsit de Valentinorum Nobilitate, et Nobilium distinctione, in qua primas obtinent viri Generosi, qui vni, illius Regni Foris vigentibus, Seuirorum Valentinorum Primates esse poterant. Prodiit in lucem libellus ille Valentiae anno 1742. in folio.

129. Pueri Poëticae studiosi vix in Hispania versificare poterant propterea quod *Bibliotheca Musarum*, quam anno 1681. Barcinone ediderat Iohannes la Cavalleria et Dulach, vtriusque Iuris Doctor, nusquam venalis comparebat. Huic studiosorum adolescentium incommodo medicinam reperit Maiansius: nam *Bibliothecam Musarum* emaculauit maxime in stilo Castellano: et quae anonymus Gallus ediderat, Hispane reddidit, orthographi-

graphiam emendauit, et operi praemisit *Prosodiam* breuissimam, et luculentam, latens sub hoc anagrammate, *Geronimo Grayas:* neque enim ex mustaceo laureolam quaerere voluit. Atque hoc pacto editus est in lucem.

Gradus ad Parnassum, siue Bibliotheca Musarum, vel, Nouus Synonymorum, Epithetorum, Phrasium Poëticarum, et Versuum Thesaurus, cuius emendationem curabat Petrus de Ville, Lugduni, apud Fratres de Ville 1742. duobus voluminibus chartae octuplicatae.

130. Cardinali Caspari Molina dedicauit hos libros Petrus de Ville; non vero Maiansius, qui de illius gratia sibi concilianda minime sollicitus erat.

131. Asseuerauit Gregorio Maiansio nobilis vir Paschalis Escrivà, velle se suis sumtibus edere opera, quae Maiansio viderentur digna luce publica. Atque hic vt illius impensis colorem quaereret (nam Hispani Nobiles a commercio sunt alienissimi, et ideo plerique parum pecuniosi) et vt eius etiam voluntati gratificaretur, excogitauit Academiam instituere, cuius ille esset Praeses perpetuus, et Maiansius, Censor etiam perpetuus, vt ita facilius fieret quod vterque vellet in electione, et editione librorum, praesertim cum per constitutionem Academicam liceret, vt quod quisque opus offerre vellet Academiae, vt ab ea approbaretur, suis sumtibus edere, et dicare posset cui liberet: conuocauit igitur Gregorius Maiansius septem viros, Academiae ideam eis proposuit, Constitutiones

nes legit; et cum vtrumque ab eis approbatum esset, vno eodemque die in lucem prodiere haec duo opuscula.

Idea de la Academia Valenciana dedicada a recoger, i ilustrar las memorias antiguas, i modernas pertenecientes a las cosas de España, debajo de la invocacion de la Divina Sabiduria. Propuso esta Idea a los eruditos Valencianos Don Gregorio Mayans i Siscar en Valencia dia 25. de Agosto de 1742. charta quadruplicata.

Constituciones de la Academia Valenciana establecidas dia 25. de Agosto del año 1742. En Valencia en la imprenta de Antonio Bordazar, charta quadruplicata.

132. Hae Constitutiones lectu dignissimae, excusae postea fuerunt ad calcem *Praefationis* a Maiansio praefixae *Aerae Hispanae* Marchionis Mondexarensis anno 1744.

133. Valentinae Academiae symbolum excogitatum a Gregorio Maiansio huiusmodi est. Cornucopia quae visitur in veteribus numismatis Valentinis cum lemmate illo Cantici Canticorum: *Flores fructus parturiunt.*

134. In laudatis Constitutionibus referuntur aliqua opera manuscripta Gregorii Maiansii, quorum alibi iam est facta mentio, et praeterea *Isidori Pacensis Chronicon* a se collatum cum quinque exemplaribus manuscriptis: et *omnia fragmenta Iuris Ciuilis et Canonici ad Hispaniam pertinentia.* Denique a se desiderata, vtiliter ibi recensentur.

135. Inter Academiae Valentinae Conſtitutiones haec vna fuit, vt feria ſexta cuiuslibet ineuntis anni Orator ab Academicis electus liberis ſuffragiis, aut haberet, aut ſuo nomine legi iuberet Orationem Euchariſticam in laudem Diuinae Sapientiae, Valentinae Academiae Patronae. Iccirco electus in hanc rem Gregorius Maianſius, ſuo nomine legi iuſſit die praeſtituto Orationem ſic inſcriptam.

Accion de gracias a la Divina Sabiduria, Patrona de la Academia Valenciana. En Valencia por Antonio Bordazar, año 1743. charta quadruplicata.

136. In ea Oratione Maianſius ingenii et eloquentiae neruos intendit. Quod permirum eſt quantam inuidiam ei conflauerit, timentibus aliquibus quousque euaſura eſſet illa Academia, niſi aliqua impedimenta obiicerentur, quorum commemoratio non eſt huius loci, cum nobis ſolummodo ſit propoſitum vitam ſcribere literariam.

137. Vt editioni operum a Valentina Academia edendorum initium fieret; voluit Maianſius incipere ab eruditiſſimis *Operibus Chronologicis* Marchionis Mondexarenſis. Et dum haec Valentiae prelo committerentur, contigit euentus memorabilis, quem operae pretium eſt ab initio cognoſcere.

138. Quam erudita ſint Nicolai Antonii opera edita, docti ſciunt. Quanta vero fuerit illius viri doctrina, et quam late patens, ex ineditis operibus aeſtimari debet. Propterea Gregorius Maianſius cum in Regia eſſet Bibliotheca, vbi illius viri

viri autographa aſſeruantur, magnam illorum partem manu ſua ingenti labore deſcripſit; *Anti-Dextrum* ſcilicet, *Anti-Iulianum*, *Cenſuram Hiſtoriarum Fabuloſarum*, *Notas* in Auienum, et Excerpta ex aliquibus libris *Aduerſariorum*, quos *Muſarum* nominibus diſtinxit, inſcripſitque. *Bibliothecae Hiſpanae nouae* additiones non deſcripſit Maianſius; quia cum ipſe nunciaſſet Andreae Gonzalezio Barciae, Regii Caſtellae Senatus Conſiliario Decano, extare illas in Bibliotheca Regia; Gonzalezius eas ſibi deſcribi curauit, vt illas vna cum *Bibliotheca Antoniana* a ſe plenius aucta ederet. *Anti-Dexter* acephalus eſt. *Anti-Iuliano* deeſt caput de *Epiſcopis Toletanis*. Vtrumque opus Latine ſcriptum, ſupplere, et edere Maianſius in animo habuit; et etiam *Auieni Notas* ordinare, et publici iuris facere. Sed commodius ſibi viſum fuit a *Cenſura Hiſtoriarum Fabuloſarum* incipere: quia, licet huius operis eruditio tanta non ſit, ac illa *Anti-Dextri*, et *Anti-Iuliani;* illud ſcripſit eius auctor in Hiſpanorum gratiam; et cogitabat Maianſius idem opus ſupplere multa ſcribens ad euertenda conficta *Chronica* Dextri, Maximi, Luitprandi, Iuliani, et alia his conſimilia, argumentis vtens, quae neque Ioſepho Pellicerio, neque Nicolao Antonio, neque Marchioni Mondexarenſi in mentem vnquam venerunt. Maianſius igitur Nicolai Antonii *Cenſuram* edidit hoc titulo.

Cenſura de Hiſtorias Fabuloſas, obra poſtuma de Don Nicolas Antonio, etc. Van añadidas algunas Cartas del miſmo Autor, i de otros eruditos. Publica eſtas obras Don Gregorio Mayans i Siſcar, autor de

la Vida de Don Nicolas Antonio. En Valencia por Antonio Bordazar de Artazu, anno 1742. in fol.

139. Hoc opus Gregorius Maianſius dedicauit Iohanni V. Luſitaniae Regi, Oliuae pridie Cal. Octobreis anni 1742. mittens illud Ericeirae Comiti, vt id Regi traderet, cui fuit acceptiſſimum.

140. Editam a ſe olim Nicolai Antonii *Vitam* latius ſcripſit Maianſius deſignatis aliquibus erroribus illius viri eruditiſſimi. In ea *Vita* mentionem fecit cl. auctor *Cenſurae* ſuae libelli inſcripti, *Hiſpania Primitiua*, quae *Cenſura*, licet grauiſſima, et eruditiſſima, mirum eſt quantum perturbauerit aliquorum animos, quos ipſe nullo modo offenderat. Propoſuit etiam ideam continuandi *Cenſuram Antonianam*, quae ſi in lucem prodiret, complementum adderet ſictorum *Chronicorum* profligationi, quae in Hiſpania adhuc laudabiliter allegantur.

141. *Epiſtolae* adiunctae *Cenſurae* ſunt viginti quinque perquam eruditae, aut neceſſariae ad fictorum Chronicorum profligationem; et earum auctores hi, Nicolaus Antonius, Iohannes Lucas Cortes, Caſpar Ibañez de Segovia Marchio Mondexarenſis, Iohannes Duran de Torres, Thomas Legionenſis Ieſuita, Ioſephus Pellicer, Antonius Auguſtinus, Antonius Covarrubias, Hieronymus Roman de la Higuera, Hieronymus Blancas, Gregorius Maianſius, Auguſtinus Sales, cui Maianſius commiſit, vt *Cenſurae* Nicolai Antonii *indicem* conficeret, et vt errata typographica obſeruaret, et corrigeret; atque vtrumque fecit. Quam inui-

dendum

dendum fuerit hoc eximium opus a Maiansio editum, operae pretium est Lectorum memoriae tradere.

142. Nesciebat ipse cum hanc *Censuram* edebat, quatuor ex famosis Laminis Granatensibus mansisse Granatae, et ibi esse in veneratione tanquam Sanctorum reliquias; sed existimabat omnes Romam fuisse perlatas, vbi ab Innocentio XI. damnatae fuerunt tanquam monumenta perniciose conficta. Itaque in Nicolai Antonii *Vita*, et in Dedicatione inscripta Iohanni V. Lusitaniae Regi, dixit, Granatenses Laminas a Pontifice Romano condemnatas fuisse, nulla adhibita distinctione. Ob hanc caussam Ecclesia Montis, quem Ilipulitanum vocant, Madridium misit Didacum Nicolaum de Heredia, Canonicum suum, vt Laminarum suarum venerationem aduersus Gregorium Maiansium tueretur. Idem Heredia auxilium petiit ab Iohanne Francisco de la Cueva, in Regii Castellae Senatus Camera Consiliario, Granatensis Cancellariae olim Praeside, cuius magna erat auctoritas apud Cardinalem Molinam, Regii Castellae Senatus Gubernatorem, qui Cueva auctore et impulsore in Gubernationis Senatu proposuit, quid facto opus esset vt Maiansii impietas (sic enim appellabatur sincerum verissimumque iudicium) reprimeretur. Cardinali Molinae visum fuit vno eodemque tempore apprehendere, Nicolai Antonii *Censuram* vbicumque esset venalis: praeterea Marchionis Mondexarensis *Aeram Hispanam*, quae Valentiae excudebatur: et omnia manuscripta quae Maiansius Oliuae in suis aedibus haberet. Quam sententiam

reliqui Senatores obſequii cauſſa ſecuti ſunt vno Andrea Gonzalezio Barcia, Conſiliariorum Decano, et viro fortiſſimo, obſiſtente. Ac ne is Gregorio Maianſio rem omnem declararet, et ne cautione adhibita Cardinalis iuſſa Maianſius eluderet; X. Cal. Aprileis clam miſit tabellarium, qui magno itinere quinquaginta leucis Hiſpanicis emenſis Valentiam peruenit die ſequenti mandata perferens Petro Valdeſio Iudicum Capitalium Praefecto, vt ſtatim ac literas acciperet, auxilium peteret a ſummo Regni Valentini Militiae Praefecto; in ea Vrbe relinqueret, qui certo die et hora Nicolai Antonii *Cenſuram Hiſtoriarum fabuloſarum*, et Marchionis Mondexarenſis *Aeram Hiſpanam* apprehenderet, idem ipſe facturus eodem tempore Oliuae in Maianſianis manuſcriptis. Cum igitur Valdeſius Oliuam profectus fuiſſet VIII. Calendas Aprileis cogitans eo peruenire ſequenti die; ſuperuenit tempeſtas adeo terribilis vt Petri Valdeſii vehiculum prope Suecam luto infixum haeſerit, vnde ſedecim homines aegre illud ſubtraxerunt; et interea Maianſius praemonitus fuit, multa in ſe intentari, forti tamen animo eſſet. Gregorius Maianſius nullius criminis ſibi conſcius, per quod infamiam aliquam timere poſſet, aequanimiter euentum expectauit. Cum igitur mane quarto demum die emenſis nouem leucis, tandem Petrus Valdeſius Oliuam perueniſſet; ſtatim Maianſius inuiſit eum, qui ſecreto ad ſe illum vocauit, ſignificauitque perurbane ac diſſimulanter, ab Regii ſupremi Caſtellae Senatus Gubernatore habere ſe mandata, quae in ipſa Maianſii domo exſequi deberet.

Itaque

Itaque hora condicta ad vesperam, discessit Maiansius, hilaritatem simulans vultu, premens corde altum dolorem, et secum magno fluctuans curarum aestu, cum quid futurum esset, omnino ignoraret.

143. Venit Valdesius hora condicta, et statim ac significauit, sibi mandatum fuisse, vt omnia Gregorii Maiansii manuscripta secum asportaret; sciens vir integerrimus hoc perpetrari optimo et sapientissimo Rege inconsulto, cuius innocentissimam voluntatem ipse sciebat; adeo indignanter hoc tulit, atque oratione adeo graui, et vehementi, aduersus Cardinalis impotentiam insurrexit, vt Petrus Valdesius veluti fulmine percussus, prius haeserit attonitus, et mox animum desponderit. Atque eo vini potiuncula referto, *Pareo*, inquit vir fortissimus, *nomini Regis, etsi harum rerum nihil conscii. Vno ictu omnes anteactae vitae meae labores praeciduntur, ne mihi vlla sit spes proficiendi proximo. Sed Dei Prouidentia huic malo medicinam afferet.*

144. His dictis secum abstulit Valdesius centum et septem volumina Maiansii manu exarata: quorum inuentarium ipse Maiansius dictauit, ne ille diutius Oliuae moraretur, et ne Pater eius, qui lecto decumbebat, aliquid resciret. Et tametsi ille Gregorium filium suum interrogasset, *Ecquid ageretur? Gloriosa nobis*, inquit Gregorius; *sed cum Regio nomine agantur, silere debeo.* Voluit Valdesius Maiansii vxorem inuisere vt se apud eam excusaret. Sed ipse noluit lactationis praetextu. In quibus factis mirifice eluxit Gregorii Maiansii pru-

dentia, qui domi suae tantum dolorem dissimulare potuit, et illum obtegere sibi coniunctissimis patri, et vxori.

145. Statim ac Valdesius discessit, conuersus Maiansius ad septem amicos ait. *Venite, scribamus*, dictauitque totidem epistolas ad diuersos. Earum argumentum erat: Nicolaum Antonium, et Marchionem Mondexarensem, viros fuisse eruditissimos, sapientissimos, modestissimosque. Se superiorum permissu edidisse illius *Censuram Historiarum fabulosarum*, et imprimere huius *Aeram Hispanam*. Si in eorum scriptis aliquid erat (quod nullo modo crederet) vel Religioni Christianae, vel Regis Iuribus parum consentaneum; designarent illud, notarentque; non tamen sibi eriperent manuscripta sua. Quod si in aliquo ex his, quae nemo viderat, non nihil esset dignum reprehensione publica; ostenderent, ac, si placeret, delerent; reliqua vero sibi relinquerent: denique Personam esse delicti capacem, non inanima scripta: quae si culpandum aliquid haberent, auctorem culpae sequi debebant. Et si hic innocens erat; inique illa extorquebantur: denique omnes honesti viri labores, in vtilitatem Reipublicae Christianae et Literariae vtiliter exantlatos, vno momento perditum iri, nescire se qua iustitiae specie fieri posset. Haec primis literis Maiansius.

146. Paullo postea intellexit, vt nefarium crimen sibi obiici, scripsisse, *esse confictas Laminas plumbeas Granatenses, seque ob eam caussam etiam accusatum fuisse apud supremum Inquisitionis Tribunal.*

bunal. Verum ibi Herediae accuſatio deſpecta fuit. Nam cum Maianſius rem omnem reſciuiſſet; dedit literas ad violatae Fidei Quaeſtorem maximum, et ad quatuor alios Inquiſitores, in quibus declarauit, in eo negotio de quo agebatur, ſe nihil aliud egiſſe niſi credere et praedicare, Innocentium XI. iuſtiſſime damnaſſe Laminas plumbeas Granatenſes, earumque defenſores anathemate percuſſiſſe, eiusque edictum publicatum fuiſſe in omnibus Hiſpaniae Eccleſiis, et ad perpetuam rei memoriam praefixum fuiſſe *Indici Expurgatorio.*

147. Repulſus igitur Heredia ab Inquiſitoribus, acrius redintegrauit pugnam per Cardinalem Molinam, ſupremi Caſtellae Senatus Gubernatorem, qui vt Maianſio negotium magis faceſſeret, Regii Caſtellae Senatus Patronis Fiſcalibus cauſſam illam commiſit. Gregorius vero Maianſius tum vt expenſas ſumtuoſiſſimae litis vitaret; tum vt honeſtius ſe defenderet; neque liti ſe offerre voluit; neque procuratorem nominauit; ſed per curſores publicos, tum ad Cardinalem Molinam, tum ad Fiſcales ſcribebat, vt conſiderarent, ſe veritatis, imo et Religionis cauſſam tueri, cum Laminae illae partim contrariae eſſent Hiſtoriae Eccleſiaſticae, partim ex Alcorano ipſo deſcriptae; omnes ita barbarae, vt ſtilus ipſe fictionem oſtenderet, et orthographia etiam eandem argueret. Quae omnia Maianſius minutiſſime et luculenter probauit: cumque Guilielmus Klarkius, Regi a conſcientia, ei ſignificaſſet, vt videret, ac conſideraret, an oporteret diſtingui Laminas, quae Granatae manſerunt, ab

ab iis quae Romam allatae fuerant; ipſe manifeſte probauit, omnes procul dubio conficłas fuiſſe, cum in illis quae Granatae manſerunt mentio fiat Neronianae Chriſtianorum perſecutionis relatae ad annum ſecundum Neronis imperii, cum certiſſimum ſit, in decimo eam contigiſſe. Magnam praeterea argumentorum et copiam et vim aduerſus eas Laminas congeſſit, maxime vrgens, in illis laudari opera, vt recentia figmenta damnata ab Innocentio XI. Quatuor vero Laminas ideo Granatae manſiſſe, quia cum haberentur tanquam Sanctorum virorum reliquiae; Petrus Caſtrius, Archiepiſcopus Granatenſis, ſuorum iurium tenaciſſimus, auctoritate Epiſcopali munitus eas retinuit.

148. Eodem tempore Maianſius minutiſſime inſtruebat Ioſephum Borrullium, Regium Fiſcalem in Indiarum Senatu, vt is diligenter edoceret Andream Gonzalezium Barciam ea omnia, quae conducerent ad ſui defenſionem: et Fiſcales etiam Regii Caſtellae Senatus, ne quid facere auderent, quod rationi et iuri contrarium eſſet. Denique vix tertius menſis completus fuit; cum Valentiae pridie Calendas Iulias anni 1743. omnia manuſcripta reſtituta fuerunt Gregorio Maianſio, et ea quidem intacta, ita iubente ſupremo Conſilio Gubernationis, quod absque vllo Maianſii ſumtu id fieri voluit, atque ita vti iuſſum eſt, exſecutioni mandatum fuit.

149. Supererat tamen difficultas recuperandi Nicolai Antonii *Cenſuram Hiſtoriarum fabuloſarum*, et Marchionis Mondexarenſis *Aeram Hiſpanam* excudi

cudi coeptam, cupiente Cardinale Molina, et adnitente, vt in illis libris aliqua notarentur, vt eorum librorum apprehensioni speciosus aliquis esset color. Aiebat Maiansius, vt siquidem delictum arguebatur, notanda designarentur: quae si bene notarentur, se volentem, aut nolentem, id laturum fuisse: sin male, contradicturum. Nam aduersus reum iustae defensioni paratum, et inauditum; vbi nulli publici tumultus timeri queunt, nihil statui potest. Res de die in diem protrahebatur; difficilis enim erat pugna aduersus Cardinalem, cui reliqui Senatores aduersari recusabant. Sed cum Maiansius scripsisset Cardinalibus Gonzagae, et Passionei, ipsique Pontifici Romano, Laminarum Granatensium condemnationem nihili fieri; cumque illustrissimus Franciscus Almeida saepissime Maiansii caussam commendasset apud Andream Gonzalezium Barciam erga Maiansium valde propensum; tandem aliquando de supremi Gubernationis Consilii sententia librorum restitutio facta fuit, decernente ac declarante illo Senatu VII. Cal. Nouembreis anni 1743. *ita fieri debere absque vllo Gregorii Maiansii sumtu, etiamsi praecessisset iussum contrarium Cardinalis Molinae, Episcopi Malacitani, Gubernatoris Consilii Regii.*

150. Qua restitutione facta, Gregorius Maiansius, qui Cardinali Molinae scripserat, se effecturum vt *Aerae Hispanae* librum, quem comprehendi iusserat, ipse Regi offerret; propositum suum re ipsa confirmauit. Per eum enim Philippo V. Hispaniarum Regi dedicauit opus illud eximium, quod in lucem edidit hoc titulo.

Obras Chronologicas de Don Gaſpar Ibañez de Segovia Peralta, i Mendoza etc. Sas publica de orden, i a expenſas de la Academia Valenciana Don Gregorio Mayans i Siſcar, Cenſor de dicta Academia. En Valencia por Antonio Bordazar de Artazu, año 1744. in fol.

151. Opera, quae hoc volumen continet, ſunt haec.

Primum, Marchionis Mondexarenſis *Aera Hiſpana*, liber multiplicis et egregiae eruditionis. Eius argumentum eſt, Aeram Hiſpanam triginta et octo annis praecedere Incarnationem Chriſti, ſiue, quod idem eſt, triginta nouem annis, Natiuitatem eius, ſubducto eo tempore, quod eſt a die I. Ianuarii ad 25. Martii; quam ſententiam Maianſius in eruditiſſima *Praefatione* ſua multis argumentis confirmauit. Certe dubitari nequit, quacumque tandem ratione computentur Incarnationis, et Natiuitatis anni, illos praecedere nouem menſes.

Secundum, Tractatus *de Aera Caeſaris* auctore Equite Petro Mexia, extractus ex *lib. III. Siluae Variae Lectionis* eiusdem Mexiae.

Tertium, *Iohannis Vergarae Canonici Toletani Aera Caeſaris, et de eius ſupputatione Digreſſio* deſumpta ex *capite tertio Deſcriptionis ſummi Templi Toletani* Blaſii Ortizii, quod caput laudati Vergarae eſt, non Ortizii teſtante Ambroſio Morale *Chronicorum lib. VIII. cap. 51.*

Quartum, *Examen Chronologicum anni quo Mauri in Hiſpaniam ingreſſi fuerunt*, quod antea iam fuerat excuſum Madridii anno 1687. charta quadruplicata.

Quin-

Quintum, Marchionis Mondexarensis *Epistolae duae* lectu dignissimae ad idem argumentum spectantes.

152. His operibus praemisit Gregorius Maiansius longam *Praefationem*, in qua late egit de Historicis subsidiis factis, et faciendis ad res Hispanas illustrandas, et maxime *de Aera Hispana*, cuius originem, et vsum explicauit, Marchionis Mondexarensis sententiam validissimis rationibus et monumentis propugnans, confirmans, et illustrans, quae, vti dictum est, eo tendit, vt stabiliatur, Annos Incarnationis et Natalis Christi diuersos esse, vtpote a diuersis initiis nouem mensibus inter se distantibus computandos in quacumque annorum hypothesi. Si igitur de prima Epocha dicitur praecedere vulgarem Aeram Christianam triginta octo annos: de altera aliter dici debet. In hac *Praefatione* promisit Maiansius suis lectoribus Nicolai Antonii *Anti-Iulianum* opus inter Antoniana eruditissimum; sed illud nondum edidit procul dubio inuidiae vitandae caussa.

153. *Praefationi* adiunxit Gregorius Maiansius *Constitutiones Academiae Valentinae* a se factas; idemque laudata *Opera Chronologica* dicauit Philippo V. Hispaniarum Regi per manus fratris Gasparis Molinae, Episcopi Malacitani, supremi Castellae Senatus Gubernatoris, qui operis editioni vehementer obstiterat; et in epistola quam ad eum dedit Maiansius Calendis Ianuariis anni 1744. aperte illi proposuit, et occulte opposuit clarissimos illos Episcopos, qui Historiam Hispanam illustrarunt.

154.

154. Persecutio illa paullo ante memorata, etsi Gregorio Maiansio non solum honesta, sed etiam gloriosa fuerit; multum ei nocuit. Nam Iohannes V. Lusitaniae Rex cupiens eum largiter remunerari ob libros pretiosissimos, quos ab eo acceperat, iussit fabrefieri munus sua liberalitate dignissimum: et, vt Comes Ericeirae scripsit, destinatum Maiansii delicatissimo gustui. Sciens autem Rex munificentissimus publicam illam persecutionem; et Cardinalem Molinam ausum fuisse reprehendere in ipso Gubernationis Senatu, Gregorium Maiansium dedicasse Regi Lusitaniae Nicolai Antonii *Censuram Historiarum Fabulosarum*; distulit hic liberalitatem suam in aliud tempus. Mox autem Regi superuenit morbus, quo eius memoria debilitata fuit; ac demum fatalis dies consecutus, quo animam efflauit, antequam Gregorius Maiansius experiretur eius munificentiam, a quo saepissime laudatus fuerat.

155. Ex eo tempore Academia Valentina, quam paullo ante Gregorius Maiansius instituerat, quaeque feliciter progredi incipiebat; collabi coepit. Alii enim aduersitatem eius timebant, refugiebantque Academiam frequentare: alii res literarias regere volebant suo arbitratu Constitutionibus Academicis insuper habitis. Ipse Praeses fugitabat. Sed tamen Gregorius Maiansius, etsi absens, vt potuit, per aliquot annos Academiam sustinuit, donec perstiterunt duo, aut tres, qui illam frequentarent, nec defuit qui vellet Orationem annuam habere.

156.

156. Sexto Eidus Aprileis anni 1744. supremum obiit diem Paſchalis Maiansius, cuius mortem filius eius Gregorius acerbiſſime luxit. Fuit enim vir probiſſimus, et licet literas parum coluerat; eas peramabat. Gregorium filium ſuum natu maiorem impenſe dilexerat; et eum vna cum reliquis ſuperſtitibus duobus filiis, Emmanuele, et Iohanne Antonio, inſtitutum, cumulauit praeterea quinta et tertia parte bonorum ſuorum, quod ſecundum leges Caſtellae ei licebat facere. Praeter eos ſuſceperat ex vxore ſua nobili Maria Siſcare quinque liberos, qui iam diu deceſſerant, videlicet, Bonaventuram, qui Gregorio fuerat natu maior, Franciſcum Paſchalem, Petrum Iohannem, Vincentium, et Mariam Annam.

157. Eodem anno 1744 Orationem Academicam habuit Stephanus Bru, Praepoſitus Valentinus, quam Gregorius Maianſius Cenſoris Academici partes agens probauit. Et quoniam ſeptem annis ſequentibus idem munus exercuit, breuitatis cauſſa hic ſolum indicabitur, eum Orationes laudaſſe illuſtriſſimi viri Franciſci Almeidae, Aſſenſii Sales Praepoſiti Valentini, Iohannis Antonii Maianſii, Generoſi Valentini, fratris ſui, cl. viri Auguſtini Orobii Bazterrae in ſupremo Inquiſitionis Tribunali Agentis Fiſcalis, cl. viri Petri Albornozii Archiepiſcopi Valentini Vicarii Generalis, Equitis Laurentii Boturini Benaduci Regii Indiarum Hiſtorici, et Vincentii Albinianae Praepoſiti Valentini, qui anno 1751. finem impoſuit Orationibus Academicis: quae ſolae Academiae nomen ſuſtinebant, in reliquis omnibus ſuſpenſo prelo. In

Grego-

Gregorii Maianſii Orationum Academicarum *Cenſuris* mira eſt varietas: ſed illa Orationis Equitis Boturini praeter ſolitam eloquentiam habet hoc ſingulare, quod in ea indicatur Maianſianum ſyſtema Iuris Naturalis.

158. Cum Ioſephus Berni, Iuriſconſultus Valentinus, Imperatoris Iuſtiniani Inſtitutiones ad hodiernum fori vſum accommodaſſet, deſignatis legibus Hiſpanis, quae Iuſtinianeum Ius vel confirmant, vel abrogant; voluit vt opus ſuum Gregorius Maianſius commendaret: qua occaſione Maianſius ſcripſit ei longam et eruditam *Epiſtolam*, in qua de progreſſu et auctoritate Iuris Hiſpani diligenter egit; eamque dedit Oliuae VII. Eidus Ianuarias anni 1744. quam *Epiſtolam* ipſe haud aſpernandam exiſtimare videtur, ſiquidem eam incoepit facere Latinam vt a Dauide Clemente publici iuris fieret. Verum Maianſii occupationes impediuerunt eius verſionem abſoluere.

159. Inter Iuriſprudentiae Profeſſores excellit in Hiſpania Ioſephus Fineſtres de Monſalvo, in Ceruarienſi Academia Anteceſſor emeritus. Is *Exercitationes Academicas* edere volens, miſit eam quam ſcripſit in *legem cum igitur 2. de ſtatu hominum*, ſummo amico ſuo Gregorio Maianſio vt eam legeret, et caſtigaret. Atque ab eo accepit eximias laudes, quae legi poſſunt in *Epiſtola* Oliuae ad Fineſtreſium data poſtridie Calendas Ianuarias anni 1745. quae dubitari poteſt, eruditiorne, an eloquentior. In ea certe modeſtiſſimum virum excitauit ad *Hermogenianum* ſuum edendum, quem nobi-

nobilissimus Gerardus Meermanus, vir Iurisconsultissimus, mirum in modum celebrauit. Et profecto Finestresii *Exercitationes Academicae*, quae Ceruariae prodierunt memorato anno, et *Hermogeniani* praegustationem literatis viris dederunt, eruditissimae sunt.

160. Finis huius anni 1745. luctuosus fuit Maiansio: nam XV. Calendas Maias Olisipone decessit illustrissimus vir Franciscus Almeida Mascareñas, Ecclesiae Patriarchalis Principalis, et peramicus Maiansii, qui dolorem, quem accepit in eius interitu, significauit in *Epistola*, quam ad Didacum Almeidam Portugalensem, Francisci fratrem, Oliuae dedit Calendis Aprilis sequentis anni 1746. quae *Epistola* edita fuit in folio, et postea recusa est vna cum elogio laudati Almeidae scripto in lingua Lusitana a Francisco Freire, et in Hispanam translato ab Andrea Marco Burriele, Societatis Iesu viro doctissimo, Madridii memorato anno 1746. charta quadruplicata.

161. Iohannis Marianae *Historia de rebus Hispaniae* maxime celebratur ob eius viri eximiam eloquentiam. Sed si quis eam introspiciat, comperiet esse compendium Chronicorum Floriani Ocampi, Ambrosii Moralis, Stephani Garibaii, et Hieronymi Zuritae, atque in eo passim maiorem diligentiam desiderabit non solum in omissis, sed etiam in scriptis. Praeclare hoc ostendit Gregorius Maiansius editis eruditissimis Marchionis Mondexarensis *Animaduersionibus* in illius *Historiam*: quibus *Praefationem* praemisit peramoenam et perquam

quam vtilem, vbi egregie depinxit Iohannis Marianae ingenium, ſtudia et mores. Prodiit illud opus hoc titulo.

Advertencias a la Hiſtoria del Padre Juan de Mariana, ſu autor Don Gaſpar Ibañez de Segovia, Peralta, i Mendoza etc. Van añadidas algunas Cartas, cuyas obras publica de orden, i a expenſas de la Academia Valenciana Don Gregorio Mayans i Siſcar, Cenſor de dicta Academia. En Valencia por la Viuda de Antonio Bordazar de Artazu, anno 1746. in folio.

162. Hae *Animaduerſiones* incipiunt ex *cap. 22. lib. VI. Hiſtoriae* Iohannis Marianae, et deſinunt in *cap. 18. lib. VII.* ſuntque numero quatuor ſupra ducentas: et in eisdem capitibus totidem praetermiſſos errores adnotaſſe dicitur Iohannes Antonius Maianſius, Gregorii frater. Vnde facile colligitur, quam vtile fuerit Gregorii Maianſii conſilium conficiendi abſolutum Notarum opus ad omnes libros et capita illius *Hiſtoriae.* In animo ſibi erat, et cum typographis Lugdunenſibus iam conuenerat, integram Marianae *Hiſtoriam* edere, cuius textui ſubiicerentur Petri Mantuani *Animaduerſiones* ſecundum primam editionem Mediolanenſem anni 1611. apud Hieronymum Bordon: ſingulisque Mantuani *Animaduerſionibus* ſubiungi debebat *Hiſtoriae Marianae Defenſio aduerſus Mantuanum* auctore cl. viro Thoma Tamayo de Vargas. His addenda erat Gregorii Maianſii *Epicriſis*, et eiusdem plurimae aliae *Animaduerſiones*, quarum numerus tantus eſt, vt ſolum ab illo factae vsque ad *cap. 14. Lib. I.* ſint nonaginta ſex: quae totidem ſunt iuſtae

Diſpu-

Diſputationes aduerſus totidem Marianae errores. Ingens vero opus continuare deſiit, tum ob typographorum Lugdunenſium infortunia, tum ob ſuorum aduerſariorum potentiſſimam impotentiam. Sed tamen in animo habet *Notas* illas continuare per totum librum primum ne omnino labor ille fruſtra ſuſceptus videatur.

163. In Marchionis Mondexarenſis *Animaduerſionum* Dedicatione data XVI. Cal. Maias anni 1746. ad excellentiſſimum virum Ferdinandum Siluam Ducem Oſcenſem, ait Auctor ſe occupatum eſſe in ſcribenda *Vita Ferdinandi Toleti*, *tertii Ducis Albae*: et quamplurimi ſunt qui dicunt in eius Bibliotheca ſe vidiſſe ſtupendum apparatum ad eam ſcribendam, partim monumentorum ineditorum, partim excerptorum ex varia et multiplici lectione, et praecipue ex narrationibus eorum, qui rebus ipſis interfuerunt.

164. Quantum laborauerit Vincentius Ximeno, Doctor Theologus, in *Scriptoribus Regni Valentiae* illuſtrandis, optime declarat eius Bibliotheca edita Valentiae anno 1747. Is a Maianſiis fratribus opem literariam petiit, et obtinuit vt ipſe praedicat. Gregorius vero Maianſius ex delegatione ſupremi Caſtellae Senatus publice probauit eius opus III. Cal. Auguſtas anni 1746. Epiſtola Cenſoria perquam diſerta et amoena eſt, quam a ſe conuerſam in Latinam linguam Hannoueram miſit ad Dauidem Clementem literatiſſimum virum, vt eam ederet vna cum *Bibliothecae* ſuae *Specimine*. Sed ſero in eruditiſſimi Clementis manus peruenit cum

ſcilicet *Specimen* iam editum erat: et ſimile infortunium paſſa eſt altera *Epiſtola* multiplicis doctrinae ad Michaëlem Caſirum ſcripta, et ad laudatum Clementem miſſa, *de Hiſtoricis operibus falſò tributis Mauro Rhaſi.*

165. Optime intellexit illuſtriſſimus vir Franciſcus Almeida, quanti fieri deberent Marchionis Mondexarenſis *Diſſertationes Eccleſiaſticae*: cumque ſciret, quatuor priores Caeſarauguſtae editas a Didaco Dormer anno 1671. emendatas et auctas fuiſſe ab auctore, et has totidemque alias extare apud Gregorium Maianſium; ab eo obtinuit omnes octo, easque prelo tradidit: ob typographi autem cunctationem ad ſuperos abiit antequam editas videret. Prodierunt poſtea in lucem hoc titulo.

Diſſertaciones Ecleſiaſticas por el honor de los antiguos Tutelares contra las ficciones modernas por Don Gaſpar Ibañez de Segovia i Peralta etc. Lisboa en la nueva imprenta Silviana 1747. Parte Primera, i Segunda ſacadas a luz por la diligencia de Don Gregorio Mayans i Siſcar. duobus voluminibus in folio.

166. Ioſephus Rodriguez, ſodalitii Sanctiſſimae Trinitatis Monachus calceatus, laborioſiſſimus vir, qui IV. Cal. Decembreis anni 1703. obiit, ſuae *Bibliothecae Valentinae* inchoatam reliquit editionem. Auctor fuit Monachis Gregorius Maianſius, vt eam publici iuris facerent, tum ne *Bibliothecae* pars maxima iam excuſa periret; tum vt auctori laboris ſui pretium eſſet, lectorum lectio. Atque

ita

ita factum est, et ex delegatione Regii Castellae Senatus Maiansius opus illud approbauit XV. Cal. Aprileis anni 1747.

167. Initio huius anni scripsisse dicitur Gregorius Maiansius *Examen Concordati pacti conuenti anno 1737. inter Clementem XII. et Philippum V. Hispaniarum Regem.* Coniectura inde ducitur, quod opus illud tantam prae se fert eruditionem Iuris Canonici, et Hispani, et Historiae Ecclesiasticae, ac saecularis, et ita ordinatam, et perspicue traditam, vt doctissimorum hominum iudicio a nemine alio nisi Gregorio Maiansio scribi potuerit. Quod opus licet excusum sit sub alterius nomine; non tamen vidit lucem publicam. Neque solum hoc opus memorati argumenti scripsisse dicitur; sed plurima alia, quae viro sapientissimo, et modestissimo in gloria sunt. Et fortasse hi sunt Tractatus quos promisit in suarum *Disputationum Iuris* Praefatione.

168. Cum ob repentinam Hispaniarum Regis Philippi V. mortem, quae contigit VII. Eidus Iulias anni 1746 Ferdinandus VI. successisset; voluit Maiansius animum suum erga optimum Principem ostendere. Eam ob caussam manum iniecit in libellum, in quo Iohannis Baptistae Coracciani tria opuscula leguntur, quae magnus ille vir, cum adolescens esset, affecerat. Primum continet *Nuncios e Parnasso allatos,* in Traiani Bocalini modum confictos; sed magis scientificos: Secundum, animi ludibundi veluti puerilia praeludia, inscriptum, *Horae Vacationis.* Tertium,

 est

eſt idea affectae *Logicae* in gratiam eorum qui procul a ſcholis literaria curricula non conficiunt. Gregorii Maianſii finis, prout ipſe aperte manifeſtauit, ſolum fuit oſtendere, ſe per quasdam fictiunculas multa poſſe docere : quod egregie praeſtitit in duobus *Nunciis* a ſe confictis, quorum ſecundus praecipue legi meretur ob cogitationes literarias quas continet ad artes rationales ſpectantes. Ibi meminit auctor ſuae *Ratiocinatricis*, ſiue *Artis vtendi ratione*. Nec minus elegans eſt *Praefatio*, vbi perbelle diſputat de fictionibus, et earum vtilitate. Haec opuſcula dicata Ferdinando VI. IV. Eidus Iulias anni 1747. prodiere in lucem hoc titulo.

Aviſos de Parnaſo, ſu autor el Dotor Juan Bautiſta Corachan Presbitero, Cathedralico de Mathematicas de la Univerſidad de Valencia. Los publica a expenſas de la Academia Valenciana Don Gregorio Mayans i Siſcar, Cenſor de dicha Academia. En Valencia por la Viuda de Antonio Bordazar, anno 1747. octuplicata charta. In fine huius libelli legitur *Index operum Doctoris Iohannis* Baptiſtae Coracciani, quae exſtant in Bibliotheca Maianſiana.

169. Anno ſequenti Gregorius Maianſius edidit :

Advertencias de Don Miguel Sanchez dadas al Dotor Don Thomas Ferrandis de Meſa i Moreno. En Madrid (por Juan de Zuñiga) *anno 1748.* charta quadruplicata. Opus acris iudicii, cuius eruditio ipſum prodit auctorem.

170.

170. Cum videret Chriſtophorus Coret et Peris a Latinae linguae ſtudioſis deſiderari ſuam *Dialogorum* Iohannis Ludouici Viuis *verſionem*, eam iterum commiſit prelo: eandemque Gregorius Maianſius ex Delegatione ſupremi Caſtellae Senatus approbauit, Epiſtola Cenſoria data Oliuae Cal. Martiis anni 1749.

171. Idem Chriſtophorus Coret edere cupiens libellum inſcriptum. *Noches i Dias feriados ſobre la Sintaxis del Maeſtro Juan Torrella*, obtinuit vt Regius Caſtellae Senatus iuberet Maianſium ſententiam dicere, qui IV. Nonas eiusdem Anni doctiſſima Epiſtola oſtendit quid ſentiret de praeceptorum inutilium, et Magiſtrorum ea docentium multitudine, deque ipſo auctore *Noctium et Dierum vacantium*, quod opus in lucem prodiit anno ſequenti.

172. Hieronymus Ortiz de Sandoval, Melioratae Comes, a Gregorio Maianſio petiit, ne grauaretur e Latina in Hiſpanam linguam conuertere, et ad ſe mittere Clementis XI Orationem ad Cardinales habitam, cum electus fuit Pontifex Romanus; eique morem geſſit Maianſius, cuius interpretatio Hiſpana prodiit Hiſpali anno 1750. *in fol.* Habet Maianſius ſingularem dexteritatem facilitatemque interpretandi ad verbum Latinam linguam: ſed dicere ſolet, id ſibi multo difficilius eſſe, quam Latine ſcribere: altero enim modo mens alligata eſt; altero, libera.

173. Inter eximios literarum patronos, qui hodie viuunt, multum emicat Otto Fridericus

Comes de Lynden. Is ſciens Gregorii Maianſii Bibliothecam eſſe theſaurum literarium, ab eo petiuit aliqua opera, quae luce publica digna eſſent: et nominatim Ioſephi Emmanuelis Minianae *de Bello Ruſtico Valentino libros tres.* Maianſius vt gratum animum erga Comitem Lindenum oſtenderet; ex Hiſpana lingua in Latinam conuertit, additis plusquam quadringentis notis, Bachalaurei Petri Rhuae eruditiſſimas *Epiſtolas aduerſus Antonium Guevaram Epiſcopum Mindonienſem*, easque miſit Comiti Lindeno cum epiſtola bene longa et erudita ad eum data VIII. Calendas Auguſtas anni 1750. Hunc libellum auide expectat Reſpublica Literaria vt Petri Rhuae obſcura fama magis clareſcat ob nouum linguae cultum, notasque. Atque vtinam in lucem prodeat Hiſpane et Latine, vt alterum opus cum altero facilius poſſit conferri, et Maianſii dexteritas, quae mirifica eſt, in Latinorum librorum verſione, melius appareat.

174. Praeterea idem Maianſius Comiti Lindeno miſit Ioſephi Emmanuelis Minianae *Bellum Ruſticum Valentinum* graui elegantique praemiſſa Dedicatione data Oliuae VII. Eidus Septembreis anni 1752. *Minianae Vita* auctior eſt, quam edita fuit in *Continuatione Hiſtoriae Iohannis Marianae*, adiuncta tabula chorographica Regni Valentiae, et indice locupletiſſimo. Latiniſſimae Hiſtoriae titulus hic eſt.

Joſ. Emman. Minianae, Valentini, Ordinis Sanctiſſimae Trinitatis, Redemtionis Captiuorum ſodalis, de Bello Ruſtico Valentino libri tres, ſiue Hiſto-

ria

ria de ingreſſu Auſtriacorum Foederatorumque in Regnum Valentiae, ex Bibliotheca Gregorii Maianſii, Generoſi Valentini. Hagae-Comitum apud Petrum de Hondt 1752. charta octuplicata.

175. Nobiliſſimus Gerardus Meerman, Syndicus Roterodamenſis, vir natus ad propagandas literas, cupiens prodeſſe ſtudioſae legum iuuentuti; a Gregorio Maianſio petiit vt ſibi copiam faceret ſuarum *Diſputationum Iuris:* cumque ille haberet ſeptuaginta, quae, ſiue quia breuiores eſſent, ſiue quia limatiores, facile et breuiter deſcribi poſſent; miſit eas Meermano, triginta aliarum transmiſſionem differens in tempus opportunius. Itaque eruditiſſimi Meermani beneficio in lucem prodierunt iamdiu expectatae

Diſputationes Iuris, Lugduni Batauorum apud Petrum Van Der Eyk et Cornelium de Pecker 1752. duobus voluminibus chartae quadruplicatae.

176. Harum *Diſputationum Praefatio* multa continet ad Gregorii Maianſii Vitam literariam pertinentia. Praeſertim vero indicat fere omnes ſuas *Diſputationes Iuris* a ſe adoleſcente ſcriptas fuiſſe initio ſtudiorum ſuorum legalium. Ex quo facile intelligi poteſt, quid expectari debeat ab aliis *Diſputationibus* elaboratis maturiore aetate; quanquam quod attinet ad earum doctrinam, et ſtilum; illae quidem ſcriptae grauiter, et eleganter. Nimirum earum contextus plerumque ſolet componi ex Iuriſconſultorum et Imperatorum ipſiſſimis ſententiis ſubtiliter connexis, accedente ſemper ne-

cessaria eruditione, et aliquando etiam ad miraculum copiosissima. Stilus autem vbique purus est, atque perspicuus. *Disputationum* argumenta plerumque solent esse discentium necessitati accommodata; non ingenii (quod in eo maximum est) ostentationi quaesita. In eadem *Praefatione* memorat Auctor se elucubrasse *Commentarios ad triginta Iurisconsultorum Fragmenta*: et eorum spem lectoribus facit. Credere par est, in eis bonam Iurisprudentiae partem enucleatam esse ea diligentia et arte, quae auctori conuenit. Ibidem etiam proponit ideam *Iurisconsulti*, siue *libri de Iurisprudentia Romanorum illustranda*, quae idea melius ibi, quam hic legetur.

177. Misit etiam liberalissimus vir Nobilissimo Meermano *Tractatus Academicos* Iosephi Borrullii, Primarii Salmanticensis Academiae Iuris Ciuilis Professoris, et Regii Indiarum Senatus Fiscalis, sane quam doctos, vna cum *Vita* laudati Borrullii: quae opera auide expectant Iurisprudentiae studiosi.

178. Idem Gerardus Meermanus, meritis suis celebratissimus vir, certiorem fecit cl. Maiansium, velle se edere *Nouum Thesaurum Iuris Ciuilis, et Canonici*, qui selectissimorum virorum opera contineret: et a Gregorio Maiansio facile obtinuit vt ad se mitteret quamplurimos vtriusque Iuris interpretes Hispanos, quos ipse Meermanus videre et legere cupiebat; et praeterea quoslibet alios, quorum opera edita, aut inedita, Maiansio digna viderentur luce publica. Selegit vir accerrimi

iudicii opera Francisci Ramos del Manzano, et Iosephi Retesii, quamplurimis Tractatibus ineditis aucta: Doctoris Nieto manuscriptum *Tractatum de Praelegatis*: Nicolai Antonii *de Exilio libros tres* plurimis additionibus postumis auctos: Iohannis Suarez de Mendoza *Commentarios ad legem Aquilliam*, et Iohannis Altamirani Velazquez *in priores tredecim libros ex viginti quaestionum Q. Ceruidii Scaeuolae Commentarium*, quibus adiunxit ineditos Iani a Costa *Commentarios, seu Praelectiones ad titulum Digestorum de seruitutibus*: item ad quatuor titulos Codicis, *ex delictis defunctorum in quantum heredes conueniantur*: *de constituta pecunia*: *de Probationibus, et de Testibus*, atque vt amico optime de se merito voluntatem suam plenius ostenderet, misit ei plusquam centum *Tractatus Academicos* vtriusque Iuris Professorum, fere omnium Salmanticensium, vt intelligeret Iurisconsultissimus Meermanus, eos, licet fama percelebres, non ita scripsisse, vt eorum opera digna viderentur luce publica. Nec non Maiansius Meermanni rogatu scripsit Francisci Rami del Manzano, et Iosephi Retesii *Vitas*, quarum illa eruditior est; haec, amoenior. Gerardus Meermanus vt gratum animum ostenderet; immortalis operis *Conspectum* dedicauit Gregorio Maiansio, elegantissima Epistola data Roterodami ipsis Calendis Decembribus anni 1750. *Thesaurus* vero in lucem prodire coepit anno 1751. septem voluminibus chartae maximae, summo Iurisprudentiae bono, et ingenti plausu Reipublicae literariae.

Ooo 5 In

In eo vero locum habere non potuerunt sero ad Nobilissimum Meermanum a Maiansio missa omnia opera edita doctissimi viri Nicolai Fernandez de Castro, et ineditum opusculum Michaëlis Gonser, Decani Ecclesiae Gerundensis, et Academiae Ceruariensis Cancellarii, *de Asylis:* ac Iosephi Finestres de Monsalvo expectatissimum *Hermogenianum.*

179. Idem Gerardus Meermanus Gregorio Maiansio significauit, Dauidem Clementem elucubrare *Bibliothecam curiosam Historicam, et Criticam*, et cupere vt Maiansius sibi copiam faceret Catalogi librorum suorum, vt eum *Bibliothecae* suae insereret. Maiansius vero existimans, parum prodesse indicem librorum, nisi eorum iudicium accedat; optans vtriusque desiderio satisfacere, praepeditus autem grauissimis occupationibus, quas in aliud tempus reiicere nullo modo poterat; excogitauit rationem qua aliquo modo eorum voluntati inseruiret, differens in aliam opportunam occasionem vtrique satisfacere. Scripsit igitur, et pridie Eidus Iulias anni 1751. ad Dauidem Clementem misit Indicem criticum operum octuaginta quinque auctorum Hispanorum, qui aliquid ediderunt de Grammatistice, Orthographia, Grammatica, aut Rhetorica, quorum opera ipse habet in sua Bibliotheca, et promisit mittere ad eundem Clementem duas *Epistolas:* alteram Oliuae datam ad Iosephum Berni VII. Eidus Ianuarias anni 1744. alteram ad Vincentium

Ximeno

Ximeno Oliuae datam III. Cal. Auguſtas anni 1746. vtrasque Hiſpana lingua a ſe conſcriptas, et in Latinam ttansferendas: ſed cum priorem Latine interpretari coepiſſet, et maiorem ipſe auctor difficultatem, quam initio conceperat, experiretur in aliquarum ſententiarum interpretatione literali; illius Epiſtolae verſionem in aliud tempus reiecit, et ei aliam ſubſtituere cogitauit, datam ſcilicet ad Michaëlem Caſirum *de confictis operibus Hiſtoricis Mauro Rhaſi tributis*, quam vna cum altera ad Ximenum data ad Clementem miſit. Verum hic interea Maianſianum Catalogum in lucem emiſit hoc titulo:

Specimen Bibliothecae Hiſpano - Maianſianae, ſiue, Idea noui Catalogi critici operum Hiſpanorum, quae habet in ſua Bibliotheca Gregorius Maianſius, Generoſus Valentinus; ex Muſeo Dauidis Clementis. Hannouerae, impenſis Io. Guil. Schmidii 1753. charta quadruplicata.

180. Dauid Clemens ſingulis auctoribus titulum praepoſuit, vbi legitur eorum nomen, et annus editionis primi libri cuiuslibet ſcriptoris in catalogo recenſiti; omiſit vero nonnullorum auctorum nomina: idemque Clemens operi praemiſit elegantem *Praefationem*, ac literatiſſimus Henrichus Iulius Fridericus Buſchius confecit *indicem* ſcriptorum, quorum in illo *Specimine* facta eſt mentio.

181. Hoc

181. Hoc *Specimen* aperte ostendit quam selectam Bibliothecam habeat Gregorius Maiansius: et vtilissimum esset, vt quoniam ille ait, separata habere aduersaria ad conficiendum Indicem criticum omnium librorum auctorum Hispanorum, quos ipse possidet, eum perageret ea qua coepit diligentia. Quod si praestaret, haberemus exactissimam notitiam optimorum Hispaniae scriptorum, multorum iudiciis criticis ornatam, et Maiansiana epicrisi illustratam.

182. In fine *Speciminis* docet cl. Maiansius, qua ratione possint eligi optimi Grammaticae Magistri, quod cum Critici Treuoltienses legerint; dixerunt, illud consilium factu esse difficile. Sed pace illorum virorum nihil est facilius et vtilius.

183. Cum existimaret Gregorius Maiansius deesse adhuc *Institutiones Philosophicas* studiosis adolescentibus accommodatas; aliae enim (si standum eius iudicio) sunt nimis breues; aliae, nimis longae; et in omnibus deest eruditio, et amoenitas; quae si adessent, mirum in modum lectores allicerent: cumque grauissimis occupationibus obstrictus esset; dissimulanter voluit ingenii sui periculum facere: et specioso praetextu recudendi formis typographicis Thomae Vincentii Toscae *Compendium Philosophicum;* praemisit huic operi iudiciosam, et bonae frugis plenam laudati Toscae *Vitam:* et, *Compendio Philosophico* adiunxit *Institutionum Philosophiae Moralis libros tres,*

tres, vbi Hominis moraliter considerati ideam ad viuum expressit, omnes Animi Affectiones, Virtutes, Vitia, et Actus humanos mirifice distinxit, et explicauit, Boni naturam, et eius quod Summum est, necessitatem apertissime docuit, veram felicitatem, et eius media optime ostendit: et haec omnia perquam eleganter, et amoenitate quadam gratissima exposuit. Prodiit vtrumque opus hoc titulo.

Compendium Philosophicum praecipuas Philosophiae Partes complectens: nempe, Rationalem, Naturalem, et Transnaturalem: siue, Logicam, Physicam, et Metaphysicam: auctore Thoma Vincentio Tosca, Valentino, sacrae Theologiae Doctore, Archiepiscopatus Synodali Examinatore, et Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Presbytero. Accedunt Greg. Maiansii, Generosi Valentini, Institutionum Philosophiae Moralis libri tres. Valentiae Hedetanorum apud viduam Hieronymi Conejos anno 1754. octo volumina octuplicatae chartae.

184. Habemus igitur *Institutiones Philosophiae Moralis* adolescentium mentibus aptatas, doctas, perspicuas, multiplicis varietatis, et ob dictionis suauitatem, elegantiam, lectu dignissimas. Et tamen dicitur ipse Auctor cogitare easdem recudere noua lima adhibita. De modo vero, quo reliquae Philosophiae Partes tractari debent; sic ipse existimat.

185. Aristotelis libros Logicos reliquis omnibus eiusdem argumenti Maiansius praefert. Sed censet

censet eos omnes in vnum corpus redigi debere, in quo alia parcissime; alia multo latius tractentur, explicenturque, ita vt Ars Critica vniversa, quae nunc sparsa est, artificiose inseratur, et suis locis accommodetur; nam, vt ipse opinatur, a Logica nullo modo seiungi debet. Singulae autem res ordinatius tractari debent, absque vlla disputatione. Vbi enim agitur de modis sciendi; hi esse debent indubitati, certique, et ad communem ratiocinandi vsum perquam accommodati.

186. Similiter putat *Metaphysicen* pertractandam; et in ea etiam explicari debere ideas omnes Metaphysicas mixtas, praesertim Morales; et Politicas.

187. Ad *Physicen* vero quod attinet, existimat methodum in ea variari debere in multis rebus, ita, vt quantum fieri possit, a simplicibus ad composita fiat transitus; a notis ad ignota; a facilibus ad difficilia; a rebus sensibus expositis ad immateriales ab intellectu percipiendas; et in singulis quaestionibus maiorem eruditionem desiderat: ita vt si Philosophiae ediscendae quadriennium sit necessarium, illud, aut plusculum tempus insummatur. Sat enim cito discitur, quod bene. Et quanquam Arithmetices, et Geometrices vsum maxime laudat; non aeque approbat frequentissimam illam affectationem Arithmetice, et Geometrice scribendi; quae calamo indigens, imaginationi parum seruit, ac memoriam nimis onerat, et modus est scribendi nimis siccus, inamoenus, ingratus.

188. Ex

188. Ex quo homines humaniorum literarum peritiſſimi linguam Latinam in Hiſpania docere deſierunt, inuaſit in ſcholas quaedam Grammaticorum turba, quae nihil aliud facit niſi praecepta praeceptis ſuperaddere, exceptiones exceptionibus, et ineptiſſimam quandam farraginem, quam ſatius eſt neſcire, quam ſcire: nihilque minus curat eiusmodi genus magiſtellorum, quam linguae vſum docere per claſſicorum librorum interpretationem. Praeterea Latinam linguam, quae ignoratur, quaeque ideo diſcenda eſt, per praecepta Latine ſcripta docere intendunt longis ambagibus. In horum numero cum recenſeri nollet Iohannes Franciſcus Paſtor, Latinae linguae Profeſſor in Academia Complutenſi; *Methodum docendi Grammaticam Latinam* Hiſpana lingua ſcripſit: et antequam eam typis mandaret, emendari cupiit a Gregorio Maianſio: qui cum illam *Methodum* legere coepiſſet, incidit in lectum dolore pedis infenſiſſime laborans ob intempeſtiue auulſum ab eo callum. Sed tamen cum Iohannes Franciſcus Paſtor ſuam *Methodum* probari cuperet Gregorio Maianſio grauiſſimo Latinitatis cenſori, et aſſertori; hic, tametſi aeger, illius opuſculum laudauit perhonorifica Paſtori Epiſtola, Oliuae data poſtridie Calendas Februarias anni 1754. quo Madridii *Noua* illa *Methodus* in lucem prodiit.

189. Leges Alfonſi Regis cognomento Sapientis, quas ob partitionem et librorum numerum *Septem Partitas* vocant, medullam continent

Iuris

Iuris Romani et Canonici, et Pragmaticorum qui ante Regem illum floruerunt, selectissimam doctrinam. Has Leges, cum paucorum manibus tererentur, cogitauit typis mandare Iosephus Berni, Iurisconsultus Valentinus, adiunctis notis; suasoremque habuit Gregorium Maiansium, qui ex Delegatione supremi Castellae Senatus VIII. Cal. Iulias anni 1755. opus illud laudauit.

190. Tot tantorumque meritorum conscia *Societas Latina, quae Athenis propter Salam est, virum perillustrem Gregor. Maiansium Generos. Valentin. Iurisconsult. celeberr. ob probatam purae Latinitatis scientiam et praeclara in literas elegantiores merita liberis omnium suffragiis electum, numero *Sociorum honorariorum adscripsit. Ienae ann. a Sot. nato 1754.* Inopinatum honorem sibi delatum cl. Maiansius grato animo accepit, Societati gratias egit, et illius statutis satisfacere cupiens, significauit, se scripturum *De Hispana progenie vocis Ur:* quae disputatio dubio procul erit digna tam erudito auctore, qui nunc dicitur occupatissimus esse in adornanda editione *quinque Rhetoricorum librorum*, quos ille Hispana lingua scripsit, optimorum Rhetorum Graecorum Latinorumque praecepta in vnam veluti consonantiam redigens, exemplis vero vtens selectissimis ex Hispanis scriptoribus summa diligentia conquisitis.

191. Quicumque huius summis viri Vitam legerit; facile animaduertet, eum aliorum famam suae praetulisse. Multum enim tempus insumsit

in

in aliorum operibus deſcribendis, emendandis, edendis, eorum indicibus, et Praefationibus conficiendis, auctorum vitis ſcribendis, iudiciis criticis dandis: quo pacto mirifice amplificauit famam Aelii Antonii Nebriſſenſis, Iohannis Vergarae, Petri Rhuae, Petri Mexiae, Benedicti Ariae Montani, Antonii Auguſtini, Franciſci Sanctii Brocenſis, Petri Valentiae, Franciſci Ramos del Monzano, Iohannis Altamirani, Ioſephi Reteſii, Doctoris Nieto, Iohannis Pugae, Ioſephi Pellicerii, Didaci Saauedrae, Antonii Soliſii, Nicolai Antonii, Marchionis Mondexarenſis, Thomae Legionenſis, Iohannis Lucae Corteſii, Ioſephi Rodriguezii, Thomae Vincentii Toſcae, Iohannis Baptiſtae Coracciani, Emmanuelis Martini Ioſephi, Emmanuelis Minianae, Ioſephi Borrullii, Michaelis Gonſerii, Antonii Bordazaris, Ioſephi Fineſtreſii, Vincentii Ximenii, et aliorum plurimorum: quorum celebritati per Maianſium auctae et amplificatae addi debet adoleſcentium inſtitutio, abſentium informatio, et liberalitas in ſcientia communicanda. Itaque Gregorius Maianſius amore literarum nullo modo cedit Gentili Delphino, Vincentio Pinello, Nicolao Claudio Peireſcio, aliisque literarum eximiis fautoribus. Ideoque omnes docti qui ab eo petunt opem literariam, minime fruſtrantur. Quod eo magis mirandum eſt, quo magis ille caruit inſtitutoribus. Nam eo tempore, quo literarium commercium cum Emmanuele Martino inſtituere coepit, iam tunc ob eximiam Latinae linguae peritiam, et

 vſum,

vſum, ſummas ab eo laudes promeruit, quas largiter ille dedit, Ioſephi fratri ſuo ſcribens.

192. Exteri multum Gregorio Maianſio debemus propterea quod plurima Hiſpanorum ſcriptorum opera eruditiſſima, nobis ignota, notiſſima fecit: ipſi etiam Hiſpani, quod exterorum ſcripta doctiſſima eis manifeſtauit. Et tamen nullo alio nomine atrociſſima inuidia ei conflatur, niſi quod inimicus eſt Hiſpanorum gloriae, quam egregie fouet magnis impenſis, et maiore labore: et ex quo ipſe ſcribere coepit, noua lux in Hiſpania literis affulſit.

193. Si nobis propoſitum non eſſet Gregorii Maianſii acta ſolum literaria indicare, non vero laudes a laudatiſſimis viris ei collatas; iuſtum efficeremus volumen contextum teſtimoniis honorificentiſſimis: nam certatim eum laudarunt, non ſolum amici eius Hiſpani, Thomas Vincentius Toſca, Iohannes Baptiſta Coraccianus, Emmanuel Martinus, Ioſephus Emmanuel Miniana, Ioſephus Fineſtres de Monſalvo, Iohannes Interian de Ayala, Ioſephus Borrullius, Iohannes Baptiſta Cabrera, Auguſtinus Saleſius, Andreas Marcus Burriel Societatis Ieſu, Vincentius Ximeno, Emmanuel Bernardus Ribera, Monachus Trinitarius, et alii quamplurimi; verum et ipſi etiam inimici: praeterea doctiſſimi viri Luſitani, Galli, Itali, Belgae, Bataui, Germani, Poloni, Angli, Americani: quantique faciat eius iudicium Regius et ſupremus Caſtellae Senatus, manifeſte declarant tot litera-

riae

riae delegationes ei commiſſae, in quibus ipſe oſtendit ſuam integritatem, doctrinae varietatem, iudicium acre, et mirabilem eloquentiam. Eruditiſſimi Europae viri eius amicitiam aut colunt, aut appetunt; et qui illa fruuntur, vberrimos ex ea fructus capiunt, tam abſentes, quam praeſentes. Hi vero melius obſeruare poſſunt eius miſericordiam in egenos, liberalitatem in amicos, humanitatem in omnes, et animi magnitudinem in rebus aduerſis, quae lectorum admirationem excitaret, ſi eius Vita politica ſcriberetur. Praeterea qui iuxta eum viuunt, facile poſſunt animaduertere ſummam eius diligentiam in libris bonae frugis conquirendis, iudicium in eligendis, largitatem in emendis, denique animum ab otio alienum, ſemper intentum labori, lectioni, meditationi, ſcripturae. Et ſi potuiſſem ab eo impetrare catalogum omnium operum a ſe tum editorum, tum manu ſcriptorum, maior lectoribus admiratio naſceretur. Nam plusquam ducenta volumina iuſtae magnitudinis, manu ſua exaraſſe dicitur: vt multi qui ſuis oculis ea viderunt, narrare ſolent.

194. Multae quidem ac magnae vtilitates ex Gregorii Maianſii communicatione percipiuntur. Sed eruditorum iudicio nullae maiores fructuoſioresque, quam egregiae illae cogitationes, quas habet ad literas propagandas praeſertim in Hiſpania, quam ille omni ratione, qua poteſt, illuſtrare ſatagit. Quamplures eius cogitationes in meam

notitiam peruenerunt, partim ex eius ſcriptis, partim ex aliquorum, qui eum norunt, narratione; et partim etiam ex eiusdem epiſtolica communicatione. Eas lectori meo non inuidebo. Sunt autem hae.

195. *De ſtudiorum ratione bene inſtituenda. Libelli, in quibus pueri literas connectere incipiunt, ſcripti ſunto ſyllabis diſtinctis.*

Orthographia Hiſpana, in qua literarum numerus conſtanter reſpondeat omnibus et ſingulis elementaribus pronuntiationibus Hiſpanis.

Grammatica Hiſpana, in qua non ſolum agatur de partium orationis puritate, et debita conſtructione; ſed etiam de frequentibus erroribus Grammaticis, vt melius hi euitentur.

Dictionarium linguae Hiſpanae per rerum claſſes, in quibus ſingulae res ſub iis contentae explicentur, vt hoc modo inueniantur verba quae ignorantur, adhibito *indice alphabetico omnium vocum cum relatione ad claſſes vbi explicantur*, vt hac ratione ſingulae ſignificationes optime noſcantur. Perſuaſit Gregorius Maianſius Antonio Bordazari vt hoc opus ſuſciperet, et conficiendi modum ei praeſcripſit: atque Bordazar inchoauit illud: non tamen auſus continuare ob laboris magnitudinem, etſi Maianſius ei promiſerat ſe opem laturum.

Epitheta

Epitheta vocabulorum Hiſpanorum ad maiorem facundiae, et eloquentiae ſacilitatem comparandam.

Adagiorum Hiſpanorum collectio diligens cum indicibus verborum, et rerum.

Collectio librorum Lemouicenſium vna cum Dictionario Lemouicenſi, et Hiſpano, ne notitiae in illis libris contentae intereant.

Linguae Latinae Grammatica Hiſpane ſcripta, per quam ſolam ediſcatur Latina lingua absque aliis libris Latinorum ſcriptorum primae claſſis.

Cicero, ſiue de coniungenda eruditione cum Latinitate, et Eloquentia: in quo exhibeatur quidquid auctores claſſici Latini de ſingulis artibus et ſcientiis, et rebus ad eas pertinentibus, doctius, et eloquentius ſcripſerunt: et haec omnia donata interpretatione Hiſpana.

Grammatica Philoſophica.

Dictionarium Hiſpano-Latinum, et Latino-Hiſpanum multo locupletiora quam quae vulgo circumferuntur.

Inſtitutiones linguae Graecae, in quibus verba Graeca alternis lineis repetantur, quarum alterae lineae Graecis characteribus, alterae Latinis ſcriptae ſint, ita vt verba ſuprapoſita infrapoſitis e regione reſpondeant vt pueri absque vllo Magiſtro ſciant legere.

Collectio Hispanarum interpretationum operum oratione soluta scriptorum Graece Latineque, quarum ipse Maiansius magnam copiam habere dicitur.

Institutiones Linguae Hebraicae eodem artificio ac Graecae, conscriptae.

Rhetorica Hispana ad vsum Puerorum.

Rhetorica Hispana ad vsum virorum. Haec prelo proxima esse dicitur.

Rhetorica Latina, vberior quam quae in Scholis sunt in vsu.

Orationes Ecclesiasticae selectae ex linguis Graeca, Latina, Itala, Gallica, aliisque, translatae in Hispanam, in quibus perdocte et eloquenter tractetur de omnibus Christianae Religionis mysteriis, de ratione vitae bene instituendae, et de praecipuorum Sanctorum imitatione.

Ars Poëtica Hispana, quae perfecte *Metricam* contineat.

Dictionarium Rithmicum Hispanum.

Sylloge interpretationum optimarum classicorum Poëtarum, Graecorum Latinorumque.

Collectio optimarum versionum Hispanarum Diuinorum Psalmorum.

Chorus Poëtarum Hispanorum.

Dionysii

Dionysii Afri Periegesis cum eruditissimis Commentariis Petri Iohannis Nunnesii.

Sexti Rufi Auieni opera cum perdoctis notis Nicolai Antonii.

Sancti Eugenii Episcopi Toletani opuscula Poëtica cum aliquibus notulis Nicolai Antonii.

Chorus Hispanorum Poëtarum Latinorum.

Benedicti Ariae Montani opera Poëtica, et praecipue Hymni et Saecula, et Humanae Salutis Monumenta cum breuibus et eruditis notis, vt Theologia Christiana facile perdiscatur: quod consilium fuit eruditissimi eius discipuli Petri Valentiae.

Institutiones Arithmeticae.

Institutiones Geometricae.

Institutiones Chronologicae.

Institutiones Geographicae.

Aelii Antonii Nebrissensis opera omnia.

Iohannis Ludouici Viuis opera omnia.

Petri Iohannis Nunnesii opera omnia.

Francisci Sanctii Brocensis opera omnia.

Petri Simonis Aprilis opera omnia.

Emmanuelis Martini interpretatio Eustathii Homerici.

Classicorum scriptorum Latinorum Graecorumque collectiones absque notis.

Scholiaſtarum antiquorum Latinorum Collectio cum numeris relatis ad verſus Poëtarum.

Scholiaſtarum Graecorum ſylloge et interpretatio cum numeris eodem modo diſpoſitis.

Chronologia Mythologica.

Dictionarium Mythologicum.

Philoſophiae Compendium, in quo omnium Ariſtoteleorum operum ad *Logicam* pertinentium fiat organum ſuis in locis inſerta critice: *Phyſice* multo latior quam ſunt editae, ſed ſtilo breuiſſimo conſcripta, et quantum fieri poſſit absque calculis, qui memoriam nimis grauant, et plerumque ad doctrinae potius oſtentationem, quam facilitatem et vtilitatem afferuntur: Denique *Metaphyſice* latior quam vulgatae, comprehendens etiam entia Moralia, Oeconomica, et Politica.

Inſtitutiones Oeconomicae.

Inſtitutiones Politicae.

Definitionum Philoſophicarum liber.

Inſtitutiones Iuris Naturalis.

Mathematicis Scientiis, Medicinae, et Iurisprudentiae, niſi qui Graecam linguam didicerit, nemo operam dato.

Compendium Mathematicum.

Inſtitu-

Institutiones Anatomicae.

Institutiones Botanicae.

Institutiones Medicae.

Institutiones Iuris Ciuilis Romani ad Hispanum accommodati.

Selecti Iuris Romani interpretes Hispani.

Collectio Commentariorum Legum Romanarum.

Collectio Commentariorum aliquorum Iurisconsultorum.

Collectio Commentariorum Constitutionum Imperialium.

Antonii Augustini liber de Nominibus Pandectarum cum omnibus testimoniis late descriptis.

Legum Hispanarum Collectio cum Commentariis illorum qui ad illas scripserunt.

Interpretatio difficilium et obscurarum vocum Latino-barbararum, quae reperiuntur in Legibus Wisigothorum, et obsoletarum quae leguntur in prisca illarum translatione Hispana.

Institutiones Iuris Canonici cum Hispani Iuris consonantia.

Iuris Canonici interpretes Hispani selecti.

Ecclesiae Hispanae Codex Canonum antiquissimus diuersus ab eo quem ediderunt Aguirrius, Cennius, et Catalanus.

Conciliorum Hispanorum Collectio.

Synodorum Hispanarum Collectio.

Iohannis Baptistae Perezii opera omnia.

De tempore in quo celebratum fuit Concilium Iliberitanum.

Sacrae Theologiae nisi qui prius didicerit linguas Graecam, et Hebraicam, nemo operam dato.

Compendium Theologicum in quo *Theologia Dogmatica plene; Moralis*, per regulas breuiter, et dilucide tradatur; *Scholastica*, sobrie attingatur; et *Mystica*, parce.

Biblia aliqua in Hispanam linguam translata diuersis columnis secundum eorum numerum.

Selecti Sacrorum Bibliorum interpretes Hispani.

Historia Reuelationum Sacrae Scripturae ad incredulos conuincendos.

Impugnatio Alcorani Arabice scripta.

Hispaniae Historia literaria, siue Alfonsi Garsiae Matamori *de asserenda Hispanorum eruditione Oratio apologetica:* Valerii Andreae Taxan-

Taxandri *Catalogus clarorum Hispaniae scriptorum:* Andreae Schotti Societatis Iesu *Bibliotheca Hispaniae:* Nicolai Antonii *Bibliotheca Hispana Vetus et Noua*, et haec addita ab ipso auctore: Gerardi Ernesti de Franckenau (siue potius Iohannis Lucae Cortesii) *Themis Hispanica*, et *Bibliotheca Historico-Genealogico-Heraldica:* Paulli Colomesii *Hispania Orientalis;* et nonnulla alia Opuscula ad Historiam literariam spectantia.

Optimorum librorum index Criticus.

Bibliotheca Hispano Maiansiana, siue Catalogus operum scriptorum Hispanorum, quae Gregorius Maiansius habet in sua Bibliotheca critice expositus, seruato scientiarum ordine.

Topographia Hispana.

Disputatio de difficultate intelligendi antiquos Hispanos caracteres, et de modis assequendi illorum intelligentiam.

Hispanorum numismatum Collectio, praecipue Arabico-Hispaniensium, et eorundem illustratio.

Inscriptionum antiquarum in Hispania repertarum Collectio.

De

De fictis Hispaniae Inscriptionibus. Nam in Occonis, Gruteri, Muratorii, aliorumque eruditissimorum virorum Collectionibus multae centuriae fictarum Inscriptionum leguntur, quae procul dubio confictae sunt.

Lectiones Ecclesiasticae, siue Historiae desumtae ex Breuiariis Ecclesiasticis.

De vero ordine subscriptionum Episcoporum in Conciliis Hispaniae.

De Calendario Gothico Hispano.

Hispania Vetus, et Noua, quarum illa contineat omnium antiquorum scriptorum Graecorum, Latinorumque, Fragmenta ad Hispaniam pertinentia, et priscorum Chronicorum seriem: haec, recentiora Chronica, et Historias praecipuas, itemque selectas illustrium virorum vitas Latine, aut Hispane scriptas, et quamplurima alia monumenta, quibus praeteritae res illustrantur, vt testamenta Regum, Diplomata Regia et Pontificia, Pacta memorabilia, Chartae fundationum Ecclesiarum, aut Coenobiorum, alia varii argumenti, Epistolae Historicae, et plurima huiusmodi,

Historia

Historia critice tractata: vt Chronica conficta cum suis commentariis, veluti Flauii Dextri, Marci Maximi, Luitprandi, Iuliani Petri, et congenerum: hisque adiungi debent Iosephi Pellicerii libri, quibus praedictorum librorum fictiones ille detexit: Nicolai Antonii *Censura Historiarum fabulosarum*, Marchionis Mondexarensis *Dissertationes Ecclesiasticae, Discursus Historicus pro Patronatu Sancti Fructuosi.* In hunc censum *Criticae Historiae* referri debet Iohannis Marianae *Historia de rebus Hispaniae* cum *Animaduersionibus* Petri Mantuani, et *Defensione* Thomae Tamaii de Vargas, insuperque cum *Animaduersionibus* Marchionis Mondexarensis, et Maiansiorum fratrum.

Critica Diplomatica.

Hispanis etiam rebus illustrandis, et variis scientiis, inseruire possent multorum scriptorum opera varia inedita cuiuslibet vtilis argumenti, vt Petri Rhuae, Hieronymi Zuritae, Petri Valentiae, Marchionis Mondexarensis.

Interpretatio et editio vtilium operum Arabice scriptorum, quorum magna copia est in Bibliotheca Scouialensi.

Trans-

Translatio Hiſpana optimorum librorum recentium, qui vernaculis libris ſcripti ſunt.

Index manuſcriptorum deliteſcentium in Bibliothecis Hiſpaniae.

Vt vero vniuerſa doctrina, quae hominem ſapientiſſimum efficere poſſit, quinquaginta, aut ſexaginta voluminibus comprehendatur; explicari debent *Sacra Biblia* eruditis, dilucidisque commentariis: quibus adiungenda ſunt *Clementis Alezandrini*, et *Tertulliani* opera omnia, cum notis quantum fieri poſſit, doctis, breuibus, et perſpicuis, adnotatis etiam vtriusque erroribus. Idem faciendum in B. Auguſtini libris *de Ciuitate Dei*, Sancti Iſidori *Etymologiarum* libris quatuordecim, et in vniuerſis operibus *Herodoti*, *Hippocratis*, *Euclidis*, *Ariſtotelis*, *Theophraſti*, *Dioſcoridis*, *Dionyſii Halicarnaſſei*, *Diodori Siculi*, *Strabonis*, *Plutarchi*, *Varronis*, *et Columellae de re ruſtica*, *Lucretii de rerum natura*, *Ciceronis libris Oratoriis*, *et Philoſophicis*, *Iuſtini Hiſtoriis*, *Plinii Hiſtoria Naturali*, *et Ouidii Metamorphoſibus*: in quorum explicatione, illuſtratione, et correctione contineretur vniuerſa vtilis doctrina maximorum Theologorum, Mathematicorum, Phyſicorum, Medicorum, Iurisconſultorum, Hiſtoricorum, Geographicorum, Philologorum, tum antiquorum, tum recentium, et, vt breuius dicam, Diuinae ſapientiae theſaurus, et omnium humanarum ſcientiarum vtilis cognitio. Haec ita

ita fieri expediret. *Biblia Sacra* dilucidari deberent omni bonarum artium, et scientiarum cognitione: *Clementis Alexandrini, et Tertulliani Opera*, et B. Augustini *libri de Ciuitate Dei*, Historiae sacrae et prophanae abundantissima notitia: *Herodoti* opera cum Sacra Historia collata, emendata, et suppleta Graecis Historiis: Euclidis scripta, antiqua et noua Mathematicarum scientiarum cognitione illustrata: *Hippocratis opera*, accuratissima collatione Graecorum, Latinorum, Arabum, et recentium Medicorum, et Chirurgorum, ac Philosophorum etiam: *Aristotelis opera* adiunctis Graecis commentatoribus Latinitate donatis, Philosophorum vitis suis locis insertis per partes, ex Eunapio, Diogene Laertio, aliisque, et *Notis Criticis* adiunctis: ac similiter alii memorati auctores explicandi, corrigendi, et illustrandi essent accommodatis ad singula eorum opera, aliis eiusdem argumenti, et singulis rebus ac sententiis et opinionibus lance critica perpensis.

196. Harum omnium Cogitationum agmen claudat *Ars linguae vniuersalis*, quam pueri mediocris ingenii paucis diebus possint perdiscere; et per eam tantum quisque scire, et explicare, quantum in sua lingua sciat. Quod si ita est, vt auctor cordatissimus affirmare dicitur, qui ad experientiam prouocat; profecto inter maximos humani generis inuentores reputari debet, cum hoc modo quisque in lingua sibi ignota cogita-

cogitationes ſuas explicare poſſet: quod miraculo ſimile videretur.

197. Haec qui cogitat, facile iudicari poteſt, quam acuto ingenio ſit, quanta doctrina polleat, et quam feliciter vtatur iudicio ſuo. Quibus animi virtutibus cum eximia caritas accedat, et egregia in omnes humanitas; quid aliud ſupereſt, niſi vt Deum Optimum Maximum precemur, vt Diuino beneficio diutiſſime viuat, corporis et mentis ſanitate fruens, et abundans opibus, quibus plurima ex his, et multo maiora poſſit perficere.

Geſchich-

* *

Geschichte
des seligen
Herrn von Cheseaux
zu Lausanne *).

Johann Philipp de Loys de Cheseaux, aus einem der alleráltesten und allerangesehensten Geschlechter zu Lausanne, Enkel des berühmten de Crousaz, ist 1718. daselbst geboren. Seine Kindheit kündigte dasjenige an, was er hernachmals geworden ist. Man nahm an ihm den Saamen aller Tugenden wahr, wodurch er sich hernachmals ausgezeichnet hat. Vornehmlich offenbahrete er frühzeitig die allerglücklichsten Fähigkeiten zu den Wissenschaften, und den völligen Geschmack im Studiren, welcher allezeit herrschend bey ihm geblieben. Seine große Begierde, sich Erkenntniß zuwege zu bringen, erstreckte sich bey nahe auf alle Vorwürfe der Wissenschaften. Die Astronomie, die gemeine und die höhere Geometrie, die Weltweisheit, die

*) Wir haben diesen Aufsatz aus der Bibliotheque raisonnée Tom. XLIX. P. I. S. 210. u. f. genommen, binden uns aber nicht an die Worte und Ausdrücke im Französischen. Vielleicht haben wir auch, da wir uns in einem etwas unbekannten Felde gefunden, nicht alles allzu wohl getroffen.

die Gottesgelehrtheit, das Recht, die Arzeneywissenschaft, die Geschichte, die Erdwissenschaft, die heiligen und heydnischen Alterthümer, waren wechselsweise der Vorwurf seines Fleißes. Er erwarb sich in allen diesen Wissenschaften eine solche Geschicklichkeit, daß diejenigen, so sich auf eine derselben insbesondere gelegt, und ihr ganzes Leben damit zugebracht hatten, in Verwunderung geriethen, ihn so füglich davon reden zu hören, und zu sehen, daß er dieselben aus dem Grunde besaß. Ich habe einen in der Wissenschaft der Alterthümer und der Critic ungemein erfahrnen Gelehrten sagen hören, daß er allezeit erstaune, wenn er den Herrn von Cheseaux über die syrischen, ägyptischen, arabischen, chinesischen und anderen Alterthümer reden hörete, welche gar keine Beziehung schienen zu haben auf dasjenige, so der vornehmste Vorwurf seiner Studien war, und welche er gleichwohl eben so tief durchgründet zu haben schien, als ob er sich nur blos auf dergleichen Wissenschaften gelegt hätte. Ein berühmter Geographus verwunderte sich gleichfalls über die große Erfahrenheit dieses jungen Gelehrten in der Geographie.

Er widmete auch den alten Sprachen seinen Fleiß, und that nicht weniger gute Schritte darinn, heftete ihn aber gleichwohl nur in so weit darauf, als sie ihm beförderlich seyn konnten, um, ohne Beyhülfe der Uebersetzungen, die Werke zu lesen, welche in seine liebsten Studien hinein schlugen. Diejenigen, auf welche er seinen meisten Fleiß wendete, waren die lateinische, die griechische und die hebräische. Er versäumete die Erlernung der arabischen und

chaldäischen Sprache nicht gänzlich, er trieb solche aber nicht so weit, weil ihm diese beyden Sprachen nicht von gleichem Nutzen als die andern waren *).

Er fand auch viel Geschmack in der Musik, und verstand so wohl die Kunst, als die Uebung derselben. Eben so verhält es sich mit der Mahlerkunst. Er legte in seiner Jugend, ohne daß er zeichnen gelernet hatte, Proben seiner Gaben in diesem Stück ab.

*) Daß man nicht mehr in den Wissenschaften zunimmt, rühret öfters von den üblen Lehrarten her, deren man sich bedienet. Dem Herrn von Cheseaux wiederfuhr das Glück, Anführer zu haben, welche sehr gute Wege mit ihm einschlugen, in Ansehung der lateinischen und griechischen Sprache. Man hat dafür gehalten, es könne der Welt von einigem Nutzen seyn, dasjenige anzuführen, was etwan in dieser Lehrart besonders seyn möchte. 1) Ließ man ihn keine Exercitia machen; Auch da er in Lesung der lateinischen Schriftsteller weit gekommen war, waren seine lateinische Aufsätze rein und fließend. (Ne quid nimis. Sonst sind die Exercitia ganz nicht schädlich, und bey dem meisten Theile der Jugend wohl unumgänglich nothwendig). 2) Man ließ ihm das Griechische und Lateinische zugleich lernen, so, daß er beyde zu gleicher Zeit erlernete. (Dieß geschiehet itzt in gar vielen wohl eingerichteten Schulen.) 3) Man brachte die Menge der Declinationen und Conjugationen, wovon die griechischen Grammatiken voll sind, auf eine sehr geringe Anzahl. (Dieß ist gleichfalls schon in verschiedenen Anweisungen zur griechischen Sprache geschehen). 4) Er machte sein Werk von den besten Geschichtschreibern des alten Griechenlandes, welche die wahren Quellen der Kenntniß dieser Sprache sind. (Auch hierinn hat er mehrere seines gleichen, welche mit Verstand studiren).

Sein durchdringender Geist, und sein Eifer im Studiren, waren ihm an statt der Hülfsmittel, woran es ihm in einer Stadt fehlete, in welcher die Wissenschaften, woraus er sein vornehmstes Werk machte, wenig getrieben wurden.

In einem Alter von siebzehn Jahren verfertigte er drey zur Naturlehre gehörige Tractate. Der erste, unter der Aufschrift: Essais de Dynamique, enthält eine Erklärung und Beweis der neuen Erfahrungen vom Stoße der Körper, zu Folge des gewöhnlichen Grundsatzes von den bewegenden Kräften in ihrem Verhältniß gegen die Producten der Massen der Körper durch ihre Schnelle. Der zweyte betraf die Kraft des Schießpulvers, welche er durch die bloße Wirkungen des Triebes der Luft erklärete. Der dritte handelte von der Bewegung der Luft bey der Fortsetzung des Schalles. Der Herr von Cheseaux hatte diesen aufgesetzt, in der Absicht, die Sätze zu entwickeln, und näher zu erklären, welche Neuton nur bloß angezeiget hatte, im 2ten B. §. 8. seiner Mathematic. Der Herr von Crousaz urtheilete diese drey Tractaten würdig zu seyn, daß sie an die königliche Academie der Wissenschaften zu Paris gesendet würden. Sie wurden 1743. gedruckt, mit der Aufschrift: Essais de Physique. Herr Pitot sagt in der voran gesetzten Approbation, daß der Verfasser, der nur ein und zwanzig Jahre alt sey, darinn sehr viel Gelehrsamkeit und einen feinen Verstand zu erkennen gäbe. Man muß aber anmerken, daß Herr Pitot dem Verfasser hier dasjenige Alter zuschreibe, welches dieser hatte, da jener seine Handschrift las. Denn er war wirklich, wie

schon

schon gesagt worden, nur siebzehn Jahre alt, als er gemeldete Schriften verfertigte.

Ohngefähr um gleiche Zeit setzte er auch Wahrnehmungen am Saturnus auf, worinn er dasjenige erläutert, so der berühmte Cassini hierüber den Memoires de l'Academie royale des sciences eingerücket hatte. Herr von Crousaz theilete diese Wahrnehmungen dem Herrn Cassini mit. Der wahre Ruhm ist nicht eifersüchtig. Herr Cassini bewunderte das Werk des jungen Gelehrten, und wünschte ihm darüber Glück. Man findet solches in einem Briefe dieses großen Sternkundigen an den Herrn von Crousaz, worinn er sich vernehmen lässet, daß er besagtes Werk mit vieler Aufmerksamkeit gelesen, und so wohl die Bündigkeit als die Deutlichkeit desselben bewundert habe, daß die Anmerkungen darinn ihm sehr wohl beurtheilt vorgekommen wären, und daß sie dasjenige ersetzten, was er in den Abhandlungen der Academie ausgelassen oder nicht gnugsam erheitert hätte. Ein Geständniß, welches so wohl dem, der es ableget, als demjenigen, zu dessen Vortheil es abgelegt wird, Ehre bringet.

Eine langwierige Krankheit, welche der Herr von Cheseaux hatte, und wovon er blos durch eine ganz außerordentliche Diät noch wieder aufkam, verhinderte ihn, weiter einige Werke an das Licht zu stellen, aber nicht an Anwendung seines Fleißes auf die Wissenschaften. Es konnte nicht helfen, daß man ihm die Bücher wegnahm. Sein allezeit beschäfftigter Geist hörete nicht auf zu arbeiten. Sein unablässiges Nachdenken erschöpfte seine Kräfte beständig ie länger ie mehr, und, um einem größeren Uebel

vorzukommen, sahe man sich genöthiget, ihm seine Bücher wieder zu geben. In diesem schwachen und ohnmächtigen Zustande lebte er von 1736 bis 1741.

Ein Comet, welcher im December 1743. erschien, gab ihm Gelegenheit, sich neuen Ruhm zu erwerben, und in eine Verbindung mit berühmten Gelehrten zu gerathen, mit den Herren von Reaumür, le Monnier, von Mairan, Racine, und anderen. Er stand bereits vorher darinn mit den Herren Polent, Cassini, König, Dan. Bernoulli, Calendrin, und mehr anderen. Er entdeckte diesen Cometen mit dem bloßen Gesichte, den dreyzehnten December, während daß Leute, die mit den besten Augen versehen waren, Mühe hatten, solchen mit Hülfe des Fernglases zu sehen. Sie waren nicht, wie er, gewohnt, die Gestirne zu beschauen. Er kennte sie so genau, daß nicht die geringste Veränderung am Himmel vorgehen konnte, welche er nicht so gleich wahrgenommen hätte.

Er hatte öfters durch sein Nachsinnen dasjenige gefunden, was Neuton bereits gesagt hatte. Hier ist eine Probe davon. Im Jahre 1736. hatte er beynahe eine Theorie der Bewegungen des Mondes zu Stande gebracht, zu Verbesserung der Mondtafeln der Herren de la Hire und Cassini, welche sich zuweilen 7 bis 8′ Grade von dem Himmel entferneten in den Zusammenkünften und 15 bis 20′ in den Gevierdten; und er hatte die Anfangsgründe davon bestimmet, als Neutons System und Theorie des Mondes ihm in die Hände fielen. Er sahe gar bald, daß diese Theorie ohngefähr dieselbe sey, so er ausgedacht

gedacht hatte, obschon sie nicht eben denselben Grund hatten; indem des Neutons aus den Gesetzen der anziehenden Kraft, die seine aber aus seinen bloßen Wahrnehmungen, bewiesen ist. Der geringe Unterscheid, welcher sich zwischen beyden befand, streckte selbst dem Herrn von Cheseaux völlig zur Ehre. Er hatte so gleich zum ersten male die Wahrheit gefunden. Neuton war noch in der ersten und zweyten Ausgabe seines Werks dahinten geblieben. Der Herr von Cheseaux schaffete sich die dritte an, und er sahe darinn, daß Neuton und er vollkommen überein stimmeten.

So bald er die Werke des Neuton gelesen hatte, fand er einen Geschmack daran, er bewunderte sie, und voll von Liebe und Ehrfurcht der Wahrheit, unterließ er nichts von allem dem, welches dazu beytragen konnte, daß das Lehrgebäude des berühmten Engelländers angenommen würde. Auch unternahm er in Ansehung des Cometen, wovon wir gesprochen haben, eine Sache zu thun, so noch niemand gethan hatte, und welche den Ruhm des gelehrten Engelländers, wenn es möglich gewesen wäre, hätte vermehren, und dem jungen Schweizer, welcher seinen Fußstapfen folgete, einen sehr großen hätte erwerben müssen.

Es war nämlich neunzehn Tage nach dessen Erscheinung, und zu Folge des Neutonschen Systems, den Weg zu zeichnen, welchen dieser Comet nehmen würde; ohne daß derselbe über 10 oder 12′ davon abgewichen, in der Zeit von 48 Tagen nach seiner Vorhersehung; den Tag zu bestimmen, an welchem

solcher der Sonne am nächsten kommen, und welche diese Nähe seyn würde; das unordentliche, oder vielmehr wunderliche Sichtbare seines Laufes, die allmählige Zunahme seines Lichtes, und endlich die Stufen seiner Abnahme zu bezeichnen, bis auf den Tag, da er aufhören würde sichtbar zu seyn; wie auch die Erscheinungen der Veränderungen seines Schweifes, woran sich so etwas außerordentliches und seltenes zutrug, daß man dergleichen noch nie an dem Schweife einiges anderen Cometen wahrgenommen hatte. Es war eine Zerstreuung oder Zertheilung in mehrere unterschiedene Zacken. Er besorgte bey Zeiten die Absendung einiger dieser Abzeichnungen und neuen Art von Prophezeyung an gelehrte Sternkündigen, welche die Geschicklichkeit des Verfassers bewunderten, und sich viel Mühe gaben, alle nöthige Wahrnehmungen ins Werk zu stellen, um der Wahrheit der Vorhersagung zu Hülfe zu kommen. Wie groß war nicht ihre Verwunderung, da sie den Cometen während eines sechs monathlichen Laufes den Weg nehmen sahen, so ihm der Herr von Cheseaux gebahnet hatte, und sich in allen denen abweichenden Erscheinungen sehen zu lassen, welche er vorher verkündiget hatte. Was gab nicht eine solche Erscheinung dem Neutonschen System vor eine Gewißheit! Der Herr von Cheseaux schrieb auch im Febr. 1749. an die Herren Dan. Bernouilli und König, daß derselbe im Anfang des folgenden Monats mit einem doppelten Schweife erscheinen würde; er berichtete selbst das Verhältniß, so er haben würde; und hierinn, wie im vorigen, traf seine Vorhersagung ein.

Es

Es ist zwar an dem, daß der selige Caßini eine gleichmäßige Vorhersagung gethan habe. Aber diese war so beschaffen, daß sie nicht anders, denn als eine bloße Muthmaßung, konnte angesehen werden. Sie bestand darinn, daß er, da er den im December 1680. erschienenen Cometen wahrgenommen hatte, sagte, daß solcher eben die Bahn nehmen werde, als derjenige, welchen Tycho de Brahe 1577. wahrgenommen hatte. Er gründete sich darauf, daß, da die meisten Cometen ihren eigenen Weg am Himmel haben, welchen er ihren Thierkreis nannte, er wahrnahm, daß der von 1680. in dem Thierkreis des 1577 erschienenen, zu stehen kam.

Die Wahrnehmungen des Herrn von Cheseaux über den Cometen von 1743. wurden im folgenden Jahre durch den Druck bekannt gemacht. Man trifft in diesem Werke zweyerley an, welches dasjenige vollkommen bestärket, so wir von seiner Scharfsinnigkeit und Gelehrsamkeit erwähnet haben. Das erste ist eine Art die Grundsätze der Theorie der Cometen nach dem Neutonschen System auszurechnen. Sie hat zwey große Vortheile über diejenige, so Gregory und Neuton selbst vorgeschrieben haben. Der erste ist, daß sie auf gewisse Weise nur eine allgemeine Theorie der sichtbaren Bewegungen desjenigen Cometen, dessen Lauf man ausrechnen will, voraus setzet; und der andere, daß die Rechnung selbst, so dazu erfordert wird, so wohl kürzer als leichter ist, als die der beyden berühmten Engelländer.

Das zweyte ist, daß dieses Werk mit zweyen Zeichnungen versehen ist, deren die eine die wahre Bewe-

gung des Cometen am Himmel, und die andere die sichtbare Bewegung desselben zwischen den Fixsternen hindurch, vorstellet. Welches vielleicht der einzige wahre Weg ist, die wahre Bewegung der Cometen in ihr rechtes Licht zu stellen. Man hatte dergleichen bis dahin noch nicht gesehen, selbst nicht in den Tabellen des Whiston und Halley. Der Herr von Cheseaux hatte noch einige andere Cometen wahrgenommen, deren Berechnung man ohne Zweifel in seinen nachgelassenen Handschriften antreffen wird.

Man hat gesagt: um gute Anfangsgründe einer Wissenschaft zu verfertigen, müsse man mehr, als diese Anfangsgründe verstehen; und iemand, der eine gewisse Staffel der Vollkommenheit erreichet habe, könne sich nicht leicht entschließen, sich bis zu den ersten Anfängern wieder herab zu lassen.

Der Herr von Cheseaux dachte so nicht. Alles, was die menschliche Erkenntniß erweitern konnte, war ihm schätzbar. In den Jahren 1747 und 1748. verfertigte er für einen vornehmen jungen Herrn, welchen man seiner Anleitung und Unterweisung zu übergeben wünschte, Anfangsgründe der Cosmographie und Astronomie, welche ein Meisterstück einer mit Deutlichkeit gepaarten Kürze sind. Für eben denselben hatte er an einer Einleitung in die Geschichte gearbeitet. Sie fieng mit der Geburt Christi an, und sollte bis auf unsere Zeiten gehen. Es ist Schade, daß er das Werk nur bis auf Carl den Großen gebracht hat. So unvollkommen dieses Stück ist, so schätzbar ist es gleichwohl, wegen der Bündigkeit, Unpartheylichkeit und Gründlichkeit, so darinn herrschen.

Bey

Bey nahe zu gleicher Zeit übersandte er der königlichen Academie der Wissenschaften zu Paris eine Cometen-Theorie, worinn er eine neue Anweisung giebt ihre Bahnen auszurechnen, und welche vor allen anderen annoch bekannten Methoden den Vorzug hat, daß sie eine ganz richtige Art und Weise anzeiget, die Grundsätze dieser Körper zu berechnen, daß sie unendlich weniger Mühe und Rechnung erfordert, und endlich weit sicherer und gewisser ist. Auch hatte er die Ehre, daß besagte Academie derselben ihren Beyfall gab, und selbst den Entschluß fassete, solche einem Bande von Abhandlungen solcher Gelehrten, so nicht aus ihrem Mittel waren, den sie heraus zu geben vorgenommen hatte, einzuverleiben. Bis dahin hatte man diese schnurrichtige Methode, die Bewegungen der Cometen zu berechnen, nicht finden können. Den größten Meßverständigen, und dem Neuton selbst, war diese Unternehmung mislungen. In Ermangelung einer solchen Methode, sagt der Herr de la Caille, Mitglied der königlichen Academie der Wissenschaften, und Verfasser der sehr hoch geachteten Elemens astronomiques; In Ermangelung einer solchen Methode siehet man sich genöthiget, zu falschen Sätzen und weitläuftigen Muthmaßungen seine Zuflucht zu nehmen. Derjenige, welcher sich diesergestalt vernehmen ließ, war hernach einer von denen, welche diese neue Methode untersucheten.

Es hatte sich zu Lausanne eine Gesellschaft erleuchteter und gelehrter Männer zusammen gethan, in welcher allerhand Unterredungen gehalten wurden

zum

zum Unterricht eines fremden jungen Herrn, bey dem diese Gesellschaft ihre Versammlungen hielt. Man urtheilet leicht, daß der Herr von Cheseaux mit unter dieser Anzahl war. Seine Abhandlungen thaten sich darinn hervor. Er las dergleichen, über den Nutzen der Künste und Wissenschaften, über die Glückseligkeit eines zukünftigen Lebens, und über andere wichtige Materien. Man hat seine Handschrift davon vorgefunden, wie auch von seinen Abhandlungen von der Einbildungskraft, von den Eigenschaften und Vermögen der Seele, und andere mehr, einen Brief über die vom Phlegon bemerkte Finsterniß, einen Aufsatz von Verbesserung der Calender, ein Verzeichniß der kaum sichtbaren Sterne, und eine im Julius 1751. in der Academie der Wissenschaften zu Paris gelesene Rede von der Figur der Erde.

Man weis, wie nöthig einem Astronomus ein Observatorium sey. Der Herr von Cheseaux hatte sich auf seinem Landgute Cheseaux eines aufrichten lassen, dessen Horizont sehr groß war. Er brachte öfters ganze Nächte darauf zu. Es war ihm nothwendig daran gelegen, von dem wahren Stande seines Observatorii gewiß zu seyn. Er stellte deswegen verschiedene Wahrnehmungen ins Werk, welche ihm die wahre Länge desselben versicherten, und deren Schlußfolgen man findet hinter seinem 1744. gedruckten Traité de la Cométe. Diese Wahrnehmungen belehreten ihn, daß die wahre Länge der Schweiz noch wenig bekannt sey. Er that deswegen in Ansehung des Landes Vaud und des Genfer-Sees eben dasjenige, so er wegen seines Observatorii

gethan

gethan hatte, und daraus entstund eine Charte dieses Sees und der umliegenden Gegend, auf welcher die Gestalt dieses Sees sehr von derjenigen unterschieden ist, so man ihm bisher gegeben hat. Das Theil des Landes Vaud zwischen dem Genfer und Neuchateller-See ist schmaler, als auf den andern Charten, und man siehet Genf 15 Minuten weiter Westwärts, als auf den Charten des Herrn de l'Jsle. Diese Charte blieb nicht lange im Verborgenen. Ein gelehrtes Mitglied des Raths zu Lausanne arbeitete an einer Geschichte der Schweiz, und wünschete derselben eine Charte des Landes beyzufügen. Er wendete sich deswegen an den Herrn Cheseaux, welcher einen Abriß der von ihm begehrten Charte machte, wozu er die des Herrn de l'Jsle zum Grunde legte, aber sich auch seiner eigenen Wahrnehmungen bedienete, und worinn er dem Genfer-See seine wahre Gestalt wieder gab. Die Charte erschien ohne Namen des Verfassers. Es fehlete nicht an Leuten, welche an dem darinn befindlichen Neuen etwas auszusetzen fanden. So schwer fällt es, daß das Licht der Wahrheit hindurch breche, selbst in sehr gleichgültigen Dingen.

Die Charte seines Vaterlandes war nicht die einzige, so der Herr von Cheseaux verfertiget. Seine große Einsicht in die Astronomie machte, daß er verschiedene Theile der Erde besser kannte, als selbst diejenigen, welche solche mit weit mehr Sorgfalt untersucht zu haben schienen. Auf solche Weise erhielt das gelobte Land unter seinen Händen eine neue Gestalt, und er unternahm, die Länge der Stadt Jerusalem zu bestimmen, daß sie mehr Westwärts

seyn, als man bisher geglaubet hat. Der Herr von Anville hat gleichfalls eingesehen, daß die gemeine Bestimmung der Länge der Stadt Jerusalem fehlerhaft sey; und die Zweifel dieser beyden Herrn haben der Academie der Wissenschaften Gelegenheit gegeben, vor nicht gar langer Zeit einigen Personen, so sich, um Wahrnehmungen zu machen, nach dem Orient begeben, aufzutragen, insbesondere die Länge dieser so berühmten Stadt aufzunehmen. Was vor ein Ruhm für den Herrn von Cheseaux, wenn seine Schlüsse durch die Wahrnehmungen bestärket werden!

So weitläuftig auch seine Wissenschaft war, konnte sie doch seine Seele nicht sättigen. Er schätzte die Wissenschaften nur in so weit, als sie ihn zu dem allerhöchsten Wesen hinauf leiteten. Er fassete den Entschluß, die göttlichen Schriften wider die Menge der Ungläubigen, so er mit einem unbeschreiblichen Schmerzen sich überall erheben sahe, zu vertheidigen. Er las zu dem Ende die Propheten mit besonderem Fleiße in der Grundsprache, und that solches mit allem dem Nachsinnen, Ordnung und Deutlichkeit, welche er in seinen mathematischen Werken angewendet hatte. Er machte sich ein gewisses Lehrgebäude und Regeln, um zum Verstande der Weissagungen zu gelangen. Mit Hülfe dieser Regeln fand er ganz natürliche und eine Genüge thuende Auslegungen verschiedener bereits erfüllter Weißagungen, so man nicht verstanden, oder übel ausgelegt hatte. Er gieng weiter; er unternahm, den gewissen Sinn verschiedener Weißagungen, so das Zukünftige betreffen, fest zu stellen. Seine Gedanken

